Bauers biblioth. librор. rarior. Suppl. 1. B. 410. S.
Freytag anal. de libris rarior. p. 276.
Gerdesii florileg. libr. rarior. p. 97.
Janozki Nachr.

IOANNIS CRASSINII
POLONIA.

AD SERENISSIMVM, ET POTEN-
*tißimum, Henricum primũ Valeſium,
Dei gratia vtriusq; Poloniæ Regem.*



Bononiæ, Apud Peregrinum Bonardum;
Venia ab Superioribus Conceſſa.

SERENISSIMO PRINCIPI D. HENRICO VALESIO, Dei gratia vtriusq; *Poloniæ Regi potentiß.*

IOANNES CRASSINIVS Eques Polonus.

S. D.

QVANTAM, & quàm vberem vniuersus terrarum orbis ex felicißima post hominum memoriam Maiestatis vestræ in Regem Poloniæ electione voluptatem ceperit; vel ex eo facilè quisq; iudicare potest, quòd tantæ rei fama accepta, nunc certatim omnes,

& de Polonia, et de vniuersa Reip. Polonæ administratione auidißimè percontantur. Cum enim expectatißimus atq; optatißimus nuncius in hæc loca venisset, Maiestatem vestram mirifico vniuersorum Poloniæ ordinum consensu ad regnum euectam, et mox incredibili omnium lætitia regalibus ornamentis affectam esse; non tam singuli amplißimæ dignitatis sublimitatem in ea admirabantur, quàm quantum id esset, quod Deus præstantißimis ipsius virtutibus detulisset, diligentißimè inuestigabant. Fit enim vt propter mediocria nostrorum hominum cum Occidentalibus populis commercia, & tanta locorum interualla, non minus illæ gentes, in iudicandis Reip. nostræ negotijs ignorationis, quam

quàm vanitatis habeant. Quod cum iam inde postquam in Italia versari cœpi, ita se habere animaduertissem; non cogitare non potui, quonam pacto, & communi exterarum gentium vtilitati consulere, & nobilißimæ Gallorum nationi, quæ nunc incredibili cognoscendarum Polonicarum rerum studio flagrare dicitur, pro virili mea parte gratificari possem. Decebat enim me, qui in imperio Maiestatis vestræ natus, & Ecclesiasticis honoribus auctus sum, omne meum studium ad excolendam inprimis regiæ dignitatis amplitudinem, deinde etiã ad illustrandam patriam (qua nobis nihil carius in vita esse debet) conferre. Quæ causa effecit, vt hoc de Polonia scribendi negotium, vrgente potißi

tißimum Carolo Sigonio, præceptore meo, viro politiorum litterarum in tota Europa facile principe, non inuitus susceperim. Qua in re si quid ingenio aut doctrina assecutus sum, Deo inprimis Opt. Max. cuius auspicijs omnia geruntur, deinde felicibus Maiestatis vestræ regni primordijs, tunc demum etiam Francisco Craßinio Episcopo Cracouiensi, & Seueriensis prouinciæ Duci, patruo meo, qui me ab ineunte ætate mea, in optimis litterarum disciplinis erudiendum curauit, acceptum refero. Fateor quidem me rem non omnibus absolutam numeris, quod mihi per ætatem non licuit, perfecisse; tamen vel eo potißimũ nomine mihi ipsi gratulor; quòd hic meus quãtuluscunq; labor, ad illustrandam

Poloni

Poloniam, nostratium hominum ingenia inflammaturus sit. Ex hoc certè qualicunq; meo opere exteri homines intelligent; Maiestatem vestram, non fabulosi aut obscuri nominis Regem esse, sed qui numerosißimis populis, & amplißimis prouincijs imperet; & pulcherrimam atq; latißimam Europæ regionem Sarmatiam, priscis incognitam scriptoribus, iusto dominatu teneat. Poloniam autem vt in vestro clarißimo nomine publicarem, vel hoc potißimum in causa fuit; quòd Polonia Regi Polono pulchrè conueniat, & quod Maiestas vestra Polonæ gentis nomen, apud exteras nationes, post partam regiam dignitatem mirificè illustrauerit. Precor Deũ, vt quemadmodum illa singularibus

ipsius

ipſius auſpicijs ad ſummum digni-
tatis faſtigium aſcendit, ita etiam
eiuſdem diuini numinis beneficio feli-
ciſsimè inprimis commendati regni gu
bernacula gerat, deinde etiam ex om
nibus, quibus hoc regnum cinctum
eſt, barbaris nationibus, ampliſsimos
triumphos agat.

Bononiæ. xx. Menſis Maij, Anno ſalutis humanæ M.D.LXXIIII.

Maieſtatis veſtræ

Deuotiſsimus ſubditus

Ioannes Craſsinius.

IOANNIS CRASSINII POLONIAE LIB. I.

QVIBVS TERMINIS *Regnum Poloniæ contineatur.*

CAP. I.

DE Polonia, quę antiquitus Sarmatia dicta eſt, ſcripturi: operæpreciũ duximus, non Poloniã tantum, quæ eſt totius Sarmatiæ Europeæ caput, & Regina: ſed etiam ſingulas vniuerſæ ditionis Polonicæ prouincias, de-

bere. Ac primùm omnium cõ
ſtat, Poloniam eſſe regionem
maximam; quæ innumerabi-
les, moribusq; ac lingua, diffe
rentes inter ſe gentes, rara qua
dam fœlicitate, in vnum am-
pliſsimi regni corpus, congre
gauit: vniusq; Regis imperio
obtemperare coegit. Quæ qui
dem, nunc in eam amplitudi-
nem excreuit: vt totum illud
terrarum interuallum, quod
eſt inter Oderam, & Viſtulam,
fluuios; & à Viſtula ad Bory-
ſtenem, à Ponto Euxino, ad
mare Balthicum, & ab extre-
mis Lithuanorum finibus, ad
Moſcorum, & Suecorum vsq;
re

regna, Regis Poloniæ impe-
rio contineatur. In eo Sarma-
tiæ Europeę ſpacio, maximę &
frequentiſsimæ regiones, Po-
lonia, Lituania, Ruſsia, Pruſ-
ſia, Maſouia, Samogitia, &
Liuonia, in vnum fortunatiſsi
mi regni corpus, coaluerunt.
De quibus, etſi opus eſt nego
tij plenum, in diſceptationem
venire: elaborabimus tamen,
& ſitum harum prouinciarum
ſoliq; vbertatem, mores gen-
tium atq; inſtituta, Reip. gu-
bernacula, & quarè Rex Polo
nus in eas regiones habeat
imperium; exteris hominibus
quorum cauſa hanc ſcribendi

 pro

prouinciam ſuſcepimus, demonſtrare. Sed nos ad Reginā totius Sarmatiæ Poloniam accedamus. Quidquid autē, de Reip. Polonæ gubernaculis dicetur, idèm etiā fieri, & in alijs Poloniæ Regno cōtributis prouincijs, intelligendum erit.

DE POLONIA, MORIbus, & origine Polonorum.

CAP. II.

POlonia, olim Sarmatia, nunc autem nouo gentis vocabulo, [à Pole] quod planiciem, & venationem quoq; ſonat, dicta Polonia: eò quod & plana ma-

iori ex parte, & exercendis venationibus aptiſsima ſit, in maiorem, & minorem, diuiditur Poloniam. Hæc ab occaſu habet, maximam omnium Europæ prouinciarum Germaniam: a meridie Hungariam, ab exortu Solis, Polonia reſpicit Lituaniam; ad Septentriones Pruſsiam, ad ſinum Balthicum ſitam. Regio vniuerſa, & vbertate agrorum, & multorū magnorū, ac celebriū fluuiorum frequētia, & metallorū copia, & hominū atq; oppidorū numero, & cultiſsimis gentis moribus, maximè pręſtat. Quę cum ſub frigido cęlo frequēti-

bus Boreæflatibus ſit expoſita, nullam ferè in vniuerſũ vinearum culturam exercet. Quarè potus genti communis eſt ceruiſia, ex aqua, tritico, vel hordeo, & lupulo, cocta. Bibitur & optimus medo, qui ex aqua, melle, lupuloq́;, conficitur. Viri nobiles, & ditiores, vino ab exteris Hiſpanis, Galliſq́;, per Oceanum: ex vicina Hungaria, & Germania, plauſtris aduecto, vtuntur. Habitus nationis pleruną; oblongus, neq́; Hungarico, & Dalmatico, valdè diſsimilis. Color gentis, vt omnium Septentrionalium, albus. Homines

vtriusq́; ſexus, pleruną; proceræ ſtaturæ, robuſti, & eximia forma præditi. Viri in vniuerſum natura fortes, & ad omne genus periculi ſubeundum, animoſi. Ignonimiam, quæ etiam nota infamiæ appellatur, publico legum decreto inuſtam, veneni inſtar deteſtãtur. Gens in vniuerſum cultum corporis diligit. Illuſtres, & nobiliores viri, induuntur ſumptuoſiſsimè. Veſtes quidã ſericeas, alij item aureas textiles, margaritis diſtinctas, pellibusq́; Zebellinorum, aut Martarum, ſuffultas: pectoralia aurea, vel argentea, ab iugulo

vmbilico tenus (ita .n. vestium fibulas faciunt) : cingulos aureos, aut argenteos inauratos, vnionibus figuratos habēt. Gladios magni precij incuruos, quos Persicos acinaces vocare lubet, in aureis, vel argenteis vaginis, recondunt; vaginas, & manubria ensium, adamantibus exornant. Equis pretiosè phaleratis insident. Equorū colla, & pectora, laminis aureis, vel argenteis, pellibusq; nobilium animalium, circunducunt. Sellas, supercilia, caudasq; equorum, gemmis distinguunt. Multiq; equos varijs tingunt coloribus. Est illis splendida

dida suppellex domestica, abacus argenteus, sunt & aulæa, insano sumptu comparata. Epulæ miro ordine, incredibiliq; pompa, inferuntur: conuiuia non tam edendo, quam cum lectissimis virginibus, & matronis confabulando, in multas horas protrahuntur. Vniuersa natio læta admodū, ludis, choreis, & compotationibus, sæpiùs indulget. Hospites, & extraneos, lautè habēt: & non sine muneribus, quandoq; dimittunt. Gens in vniuersum prudens, & literarum amatrix. Quamobrem, & regionum visendarū causa, multi

ti nobiles, & primiores adolescentes, lares paternos deserunt; & magnā secum omniū doctrinarum copiam, & optimarum rerum vsum non mediocrem, domum referunt. A' Polonia dicti sunt Poloni. Polonos autem, Slauicam, seu Slauonicam gentem, constat esse. Slaui, à (Slaua) quod gloriam, & celebritatem sonat, appellati. Hi vt quidam volūt. imperante Mauricio imperatore, à Bosphoro Cimerio, Tanaiq; fluuio, (qui Europæ, & Asiæ terminus é) profecti; Dalmatiā, & omnē Illyrici oram, depulsis atq; trucidatis Romanorum

norum præsidijs, occupauerunt. Prouincia vniuersa, eorum nomine appellata. Altera Slauorum pars, in Poloniam, & magnam Germaniam, diuertens: duas maximas gentes, Boemos, & Polonos, condidit. Sed nobis, Martinum Cromerum, rerum a Polonis gestarum scriptorem illustrem, qui ab his non valdè dissentire videtur, sequi libet. Is enim refutatis non leuibus argumentis aliorum opinionibus, diligens veritatis perscrutator, Slauos ex Rusia, quæ vetustis authoribus est Roxolania, non solum in Mæsiam, Daciam, Pan

Pannoniam, & vniuersas Illyriorum prouincias: sed etiam in Poloniam, quæ tunc fortè habitatoribus vacua erat, & in Boemiam migrasse credit. Sed quibus primum temporibus, aut vndè, Slauica gens, in Roxolaniam venerit; & antiquos illos Sarmatas (si qui modò alij fuerunt) deleuerit, nō constat. Roxolanorùm tamen nomen, quod Russorum appellationi conuenit, non est incognitum antiquis scriptoribus. Ptholomæus enim, & C. Plinius Roxolanos populos, in Sarmatia ad latus Mæothidis paludis collocāt. Et Cornelius

Taci

Tacitus, Othonis Syluij imperatoris, qui octauus post C. Iulium Cæsarem imperauit, tempora describens: Roxolanos Sarmaticam gentem, cæsis priori hyeme duabus Romanorum cohortibus, magna spe in Mæsiam irrupisse, affirmat. Strabo lib. vij. Roxanos ad aquilonarem regionem spectātes, inter Tanaim, & Borysthenem, pasci scribit. Quādò verò Slauinorum populi ex Russia in Poloniam, cæterasq; regiones, concesserint: inter authores non conuenit. Cùm enim barbari essent, rebus potius preclarè gerendis,

quàm

quàm memoriæ hominum cõ mendandis, vacarunt. Cromerus tamen vir grauiſsimus, qui primus omnium hyſtoriæ Polonæ veram lucem attuliſſe videtur; eos populos qui nunc Poloni, & Boemi, dicuntur: circiter Attilæ, Hunnorum Regis tempora, vel paulòpoſt progreſſos è Roxolania, & Sarmatia, cæteraſq; Slauici generis nationes, vacuas Vandalorum ſedes occupaſſe, & in interiorem Germaniam arma victricia intuliſſe putat. Vt vt res ſe habet, veriſimile eſt, Slauos ex Ruſsia prodijſſe. Qui cùm in Poloniam lecho, in Boemiam

Cecho, ducibus germanis, veniſſent: primus apud Polonos lechus, apud Boemos item Cechus, vtriuſq; gẽtis per manus tradita opinione, regnaſſe creditur. Slauicæ linguæ vſus, hodiè quamlatiſsimè patet. Vt .n. Slauica gens, ita & Slauonica lingua, per innumeras ferè terrarum orbis regiones, propagata eſt. Dalmatę itaq;, Boſnẽſes, Serui, Bulgari, Myſij, Raſciani, cæteriq; Bizantium vſq;, Iſtri, Carni, Carniolani, Carinthij, Vindę mari Balthico vicini populi, Pomerani, Boemi, Moraui, Luſacij, Sileſij, Roxolani, Moſchi, quorum & in Aſia, &

in Europa, latiſsimũ eſt imperiũ: Circasij quinquemontani ad Põtũ habitãtes, deniq; ipſi, de quibus ſcribimus Poloni, Slauonicæ gentis nomen agnoſcunt, Slauicaq; lingua, quãuis variantibus inter ſe aliquantũ dialectis, vtuntur. Sed & Turcarum genti, familiaris eſt Slauonicus ſermo, & in aula Bizantina, gratiſsimis excipitur auribus. Cuius rei eam eſſe puto cauſam, quod Turcarum Rex, Slauinorum regiones ferè vniuerſas; non inuaſit modo: verùm etiam in ſuam ditionẽ penitùs redegit. Multi etiam Slauici nominis viri, ſectam

profeſsi Mahumetanam; Turcarum Regis ſtipendia merentur. Sed nos quos ritus Poloni ſequantur, oſtendamus.

DE SACRIS POLOnorum ritibus, & religione Chriſtiana ſuſcepta.

CAP. III.

DIutiſsimè olim gens Polona, propter innatam barbariem, & feros mores, annalium Polonicorum teſtimonio, falſorum deorum cultum amplexa eſt. Quę tandem anno ab hinc ſex 965
centeſimo, repudiatis Iouis, Martis, Plutonis, Cereris, Dia

næ, Veneris, cæterorumq; mõ ſtrorum ritibus; auctore Mieciſlao Duce, Chriſtianorum ſacra adſciuit. Primus omniũ Miecislaus ſacro baptiſmatis fonte ablutus; hunc vniuerſa prouincia ſecuta. Ioannes decimus tertius, Romanæ Eccleſię Pontifex maximus, primos Italici, Gallici, Germaniciq; generis, Epiſcopos: in Poloniam miſit. Eorum opera, & vniuerſa gens, ad Chriſti fidẽ acceſsit, & Mieciſlaus Dux, propagandæ religionis chriſtianæ cupidiſsimus, plæraſq; Eccleſias pontificales, non cõ ſtruxit modò, ſed etiam ampliſsi

pliſsimis opibus, dotauit. Ex eo tempore, natio Polona, Apoſtolicæ ſedis Romanæ, (ex cuius gremio ſacrorum ritum accepit) cultrix tenaciſsima fuit: ita vt & puriſsimæ religionis cultu, & Chriſtianarum virtutum obſeruantia, antecelleret: nunc proh dolor, improbiſsimis hæreticorum opinionibus, qui proprios ſenſus, authoritati patrum præferunt: quadam ex parte ſeruit. Non enim ſolum omnes ferè peregrinas admittit ſectas, ſed etiã nouas ſibi eaſq; ab omni homine chriſtiano alieniſsimas, quotidie confingit. Verum ea

nunc eſt, de Henrico Valeſio, Catholico rege omnium chriſtianorum opinio, atq; fiducia: vt ipſe vnus ſit, qui & labantem religionem Catholicam erigere, & huic fundi noſtri calamitati mederi poſsit. Sed quod prius mihi dicendũ erat, illud nunc ſilere haud poſſum: nimirum, quod iſtius primi Ducis chriſtiani temporibus, apud Polonos inoleuerat: vt homines nobiles, ſacratiſsimo myſſę ſacrificio adſtantes, cum euãgelium dicturus Sacerdos, prima verba pronuntiaret, gladios mediotenus ſtringerent; reſpondente verò miniſtro,

rurſus reconderent. Incredibilis religioſiſsimæ gentis pietas, conſtans, & perpetuum tuendæ religionis Catholicæ ſtudium, oſtendebat. De religione hactenus, ad primas Poloniæ vrbes accedamus.

DE PRIMARIIS *Poloniæ Vrbibus* CAP. IIII.

ANtiquiſsimam omniũ Polonicarum vrbium Gneſnam, annalium Sarmaticorũ teſtimonio, cenſemus. Ea ab Lecho, primo Polonorum Duce condita, & ab (Gniaſdo) quod nidum ſi-

gnificat, appellata; principum ſedes quam diutiſsimè extitit. Quòd ſi verum eſt, Polonos Duce Lecho, ex Roxolania in in Poloniam migraſſe, circiter Attilæ Hunnorum regis tempora; conſequens erit, vt dica mus etiam, eodem temporis interuallo, hoc eſt ipſo regni ſui exordio, Gneſnam, ab eodem ædificatam eſſe. Hoc certùm eſt, omnium opinione Po lonorũ receptum eſſe: Gneſnã cõditorem habuiſſe Lechum, & ab (Gniaſdo) quòd nidum ſonat ſumpſiſſe appellationẽ. Fortè enim in eo loco Lechus, aquilarũ nidum reperit. Quare

re ex eo tempore, principibus Polonis, alba Aquila, erecta, expanſis alis, inſigne manet. Sed quæ nunc potiſsimũ Gneſnæ ſpectatur eccleſia metropo litana, ſede Archiepiſcopali, & Adalberti martyris ſepultura, antecellit. Adalbertus, ſecundus primùm in ordine Pragenſis Epiſcopus, deinde regnante Miecislao Duce; qui primus chriſtianis ſacris apud Polonos initiatus eſt: defuncto Roberto, primo eius eccleſiæ antiſtite, Gneſnenſis Archiepiſcopus fuit; fidemq́; chriſti in Polonia mirificè propagauit. Qui cum Prutenos, gen

tem feram, ad mare Balthicũ ſedes habentem, ad chriſtum pellicere conaretur: ab immaniſsimis barbaris, crudeliſsimis cõfectus vulneribus, anno
997 chriſti, noningenteſimo nonageſimo ſeptimo occubuit. Eius corpus à Boleslao Poloniæ Duce; qui primus ab Othone Ruffo, eius nominis tertio imperatore Romano, anno poſt
1001 Chriſtum natum, Milleſimo primo, in ciuitate Gneſnenſi Rex eſt appellatus: tanto auri pondere, quantum corpori reſpondebat, redemptum. Eſt autem Archiepiſcopus Gneſnenſis, legatus natus & totius

regni primas. Sed qua parte poſt regem in Polonia eſt princeps, ſubtracto è viuis rege, munere apud Polonos fungitur regio: mittendarum ad exteros legationum, cuſtodiendorum finium, & promulgandorum Comitiorum, ius habet: regem electum pronuntiat, ſacro oleo inungit, regioq̃; diademate exornat. Huic primæ apud Polonos ſignificandæ dignitatis cauſa, ab magiſtro Archiepiſcopalis curiæ, ſublatus prefertur baculus: mã ducaturo tympana militaria verberantur. Qui honor cum maximis ſit, ſoli Archiepiſco-

po Gneſnenſi, in tota Polonia, penes regẽ habetur. Aula nulla poſt regiam, præterquã archiepiſcopalis cenſetur. Quare cæterorum Epiſcoporũ, & principum familiares: nõ aulicos, ſed famulos vulgò appellamus. Decreta eſt præterea cõmunibus totius regni legibus, in eos pœna; qui preſente Archiepiſcopo, vel cęciderint aliquẽ, vel gladium ſtrinxerint, vel quod etiam eſt leuius, obſcænos ſermones miſcuerint. Magna quidẽ & ſingularia extant, Polonorũ regum, erga vniuerſum eccleſiaſticũ ordinem beneficia. Quæ ſi mihi ſingula percen-

ſenda

ſenda eſſent; multorum dierum, multorumq́; voluminũ, non vnius operis negotium eſſet. Silere tamen ea non poſsũ, quæ in publicos totius regni inſerta annales; incomparabilem cleri dignitatem, magnoperè augere videntur. Primam itaq́; Boleſlaus primus rex, hoc in genere laudem ſibi vendicat; qui & cõſecuto regio diademate, incredibiliter gentis Polonæ nomen, apud exteras nationes illuſtrauit; & inter cætera præſtantiſsimæ ſuæ virtutis edita facinora, omnibus in Polonia ſacratis hominibus, vniuerſa regibus Polonis præ-

ſtanda

ſtanda vectigalia, iure ſempiterno remiſit: & ab omnibus, omnium onerum officijs, immunes declarauit. Henricus Archiepiſcopus Gneſnenſis, Theodorici Ducis Bernenſis
1200 filius, qui circiter Milleſimũ ducenteſimum annum, Gneſnenſis eccleſiæ præſul fuit: opera & auctoritate ſua; qua plurimum valebat, perfecit; vt Leſci albi Polonorum monarchæ, qui tunc apud Polonos, ſummum obtinebat principatum, atq; omnium Ducum, procerumq; Polonorum conſenſu, & communi totius Poloniæ decreto: viri eccleſiaſtici,

ci, vna cum omnibus ſubiectis Eccleſiarum hominibus, ab vniuerſa principum, & qui eorum nomine ius dicunt præfectorum, iuriſdictione: liberi eſſent. Vuladiſlaus Iagello, Magnus Lithuaniæ Dux, abdicatis ſceleratis gentilium ritibus; ſacro baptiſmatis fonte ablutus, & regnum apud Polonos adeptus eſt. Anno milleſimo tercẽ 1386
teſimo octuageſimo ſexto. Eo demum anno, qui proximè ſequutus eſt; profectus in paternam Lithuaniæ regionem, non ſolum omnem illam gentem, Chriſto Deo dicauit: ſed etiã multis extructis ſacris ædibus, &

& diuitijs Ecclesiastici ordinis hominibus attributis, omnes Ecclesiarum agros, ab vniuerso onere, & ab omni pensione, & iurisdictione principis, & profanorum, lata lege liberauit. Verùm & in Comitijs regni, apud Iedlinam pagum venationibus nobilem, in Polonia celebratis; omnibus Ecclesijs, regiorum vectigalium immunitatem, rari & singularis exempli rex, liberaliter concessit: & superiorum regum beneficio nactam libertatem
1430 approbauit. Anno millesimo quadringentesimo trigesimo. Quid dicam de Alexandro, opti-

optimo & religiosissimo rege? qui vt ne Vuladislao Iagellonio auo suo, singulari in Deū pietate, cedere videretur; vniuersa omnium regum, Ecclesiastico ordini indulta priuilegia, in Comitijs regni Lublinensibus, magna sui nominis laude confirmauit. Anno mil- 1506
lesimo quingentesimo sexto. Et cum tunc fortè, inter proceres, & Episcopos, de ratione sedendi in Senatu, & de Ecclesiasticis agris, controuerteretur; sanxit, vt Episcopi in Senatu vtrunq; regis latus tegerent, fundi verò ecclesiarū, ab omni regni militia, perpetuam

tuam haberent vacationem. Nihil nunc dico, de inſignibus cęterorum regum ſacrato ordini donatis priuilegijs: quæ pręſtantem hanc cleri auctoritatem, incredibiliter cōfirmant. Illud tamen pæterire nó poſsũ; nó minorem fuiſſe illorum regum in tuenda Eccleſiaſtica dignitate, quàm in attribuendis caſtellis, vicis, & pagis, (quibus deo dicati viri vitam ſuſtẽtarent) religionem. Quamobrem, cũ Eccleſiaſtici agri potiorem totius regni partem occupare cenſeantur: & Archiepiſcopi Gneſnenſis primatis, & cæterorum Poloniæ antiſtitum

tum, ampliſsimas ditiones: ex quibus illis ingens auri pondus quotannis venit: maximos eſſe principatus, nemo eſt rerũ Sarmaticarum peritus, qui non dixerit. Iacobus Vchanicius, eques Maſouius nunc Eccleſię Gneſnẽſis clauum tenet; cuius præſtans & egreius tuendæ religionis catholicæ ardor, & in rebus gerendis prudentia: ſi vnquam alio tempore, in electione Henrici Valeſij regis, magnopere enitiuit. Cæterum Gneſnenſis ciuitas metropolitana, Polonorum principum regia erat. Sed cũ Cracus Dux, quem Bernardus Vapouius, hy

ſtoriographus Polonus, circi-
700 ter ſeptingenteſimum à Chri-
ſto nato annũ, imperaſſe apud
Polonos ſcribit: Cracouiam,
totius Septentrionis vrbem no
biliſſimam, ad ripam viſtulæ
fluminis ædificaſſet; & publi-
cis atq; priuatis ædificijs exor-
naſſet mirificè, in eam ſeſe,
ſedemq; ſuam, primus omniũ
tranſtulit. Manſit regia princi-
pum ſedes Cracouiæ, ad Po-
pielij ſenioris, Polonię monar
chæ, vſq; tempora: qui mon-
tanæ pertæſus regionis, in qua
vrbs Cracouia ſita eſt, regium
tribunal Gneſnam retulit: atq;
inde paulòpoſt, mutato con-
ſilio,

ſilio, Cruſuiciam nũc ignobile
oppidum tranſtulit. Sed illud
inde quoq;, volẽte Piaſto prin-
cipe, (qui ex infima plebe crea
tus monarcha, circiter octin-
genteſimum ſexageſimum pri 861
mum annum ad gubernationẽ
Poloniæ adſcitus eſt) Gneſnam
priſcam Lechi Ducis regiam,
relatum. Fuit autem ex eo tem
pore Gneſna, multorum prin
cipum, regumq; domicilium,
& in qua reges ſolenni ritu in-
ungebantur. Verũ Vuladislaus
cognomento locticus Rex, re-
licta Gneſna, ſedem regiam,
atq; ipſa regni inſignia, Craco
uiam retulit: primusq; regum,

in ea vrbe, regio diademate in
1320 ſignitus eſt. Anno Chriſti Mil
leſimo trecẽteſimo viceſimo.
Ab eo tempore, vrbs Craco-
uia, regia ſedes ſemper fuit,
ad noſtra vſq; tempora. Quæ
quidem, poſteriorum regum
ſumptibus ad eam amplitu-
dinem venit: vt cum Italicis,
& Germanicis elegantioribus,
certet: inter cæteras ſeptentrio
nales, principem teneat locũ.
Primum eius vrbis ornamen-
rum, pulcherrima totius regni
arx, in colle Vauelo ab incolis
dicto ſita, iudicatur: quæ in-
credibili Sigiſmundi primi re-
gis conſtructa ſumptu, non in
colarum

colarum modo, verùm etiam
externorum oculos, in admira
tionem rapit. In arce, ærarium
regni, in quo diadema regiũ,
cæteraq; regalia inſignia, &
antiquitatis Polonæ monumẽ-
ta, cuſtodiuntur: cernitur. In
Cathedrali arcis eccleſia, quòd
olim Gneſnæ fieri ſolebat, re-
ges ſacrantur. In Eccleſia Sta-
nislai martyris precioſiſſimis
illuſtratũ vnionibus ſepulchrũ,
argenteæ diuorum aræ, inſi-
gne ab incredibili operis arti-
ficio, & precioſa ſuppellectili,
Sigiſmundi primi regis ſacel-
lum, & antiquiſsima de hoſti
bus capta vexilla, Stanislao di
 cata

cata ſpectantur. In ſecretiori templi ſcrinio, ſacratiſsimæ crucis portio, ab Caſimiro magno rege, ex Roxolanica Leopolienſi præda, Anno Chriſti
1340 milleſimo tercenteſimo quadrageſimo, illata videtur. Sunt & bini claui, quibus Chriſtus ſeruator noſter cruci affixus fuit: quorum alterum Otto Ruffus imperator, vna cum D. Mauricij lancea, Anno mille-
1001 ſimo primo, Boleslao regi dono dedit: alterum, Martinus eius nominis quintus pontifex maximus, per Latinum Vrſinum Cardinalem, Epiſcopum Hoſtienſem, Vuladislao primo

ex Lituana gente regi, miſit.
Anno milleſimo quadringen- 1424
teſimo viceſimo quarto. In eodem templi ęrario, auri, argēti, gemmarumq́; maſſæ, ſeruātur. D. Stanislaus, ex nobili apud Polonos Prufforum domo, cognomine Scepanonius, Cracouienſis Epiſcopus fuit. Qui dum Boleslaum ſecundū regem, propter incredibilem feritatem, & deteſtandas libines, obiurgat: & ab illicito graſſandi, & ſcortandi genere Eccleſiaſticis pœnis auertere nititur, ſceleſtiſsimi tyranni gladio obtruncatur: cum vix triennio, Epiſcopi munere fun

ctus eſſet. Viri ſanctiſsimi cæ-
1079 des, Anno Chriſti milleſimo
ſeptuageſimo nono patrata.
Hic anno demum milleſimo
1253 ducenteſimo quinquageſimo
tertio, Innocentij quarti pon-
tificis maximi auctoritate, di-
uis adſcriptus eſt. Sed auguſtiſ-
ſima regni ciuitas Cracouia,
tribus oppidis contiguis, Ca-
ſimiria, Cleparia, Stradomioq́;
frequentiſsima efficitur. Caſi-
miria, Stradomio, & interla-
bente Viſtula fluuio, qui rece-
ptis amplius quatuordecim
magnis fluminibus, apud Dan
tiſcum vrbem in mare Balthi-
cum effunditur; ab Cracouia

ſepara

ſeparatur. Ampliſsimus pons,
ex vna parte migrandi in aliã,
facultatem præſtat. Caſimi-
riæ coniunctus eſt Hæbreorũ
vicus, qui cum ante in vrbe
promiſcuè cum chriſtianis ha-
bitarent: ſeditionibus coacti
popularibus, multis magnis,
& elegantibus ædificijs, pro-
pinquum Caſimiriæ locum,
compleuerunt. Multæ autem
ſunt in vniuerſum, nobiles per
omnes vrbis regiones ędes: ſed
ſpatioſiſsimum, & elegantiſsi-
mum forum, ædificiorũ ſplen-
dore antecellit. Ædes præto-
riæ vna cum ampliſsimis, &
ſplendidiſsimis mercatorum

tabernis

tabernis in ipſo fori vmbilico conſpiciuntur. Sunt & illuſtria plæraq; templa, diuorumq; Floriani, & Iacincti reliquiæ; illa ornamẽtum vrbis, hæc hominum religionem augent. D. Floriani ſacratiſsima oſſa, ab Lucio eius nominis tertio Pontifice maximo, Caſimirus Poloniæ princeps impetrauit. Ægidius Mutineñ. Epiſcopus Legatus, Lucio è rebus humanis erepto Cracouiam detulit. Iacinctus D. Dominici vitæ inſtitutum profeſſus, cum grauiſsimos pro ſacratiſsima Christi religione, in Polonia & Roxolania, ſubijſſet labores: Anno

Chriſti milleſimo ducẽteſimo 1257
quinquageſimo ſeptimo, è vi uis ſubtractus: poſt mortem, propter ſanctimoniam actæ vitæ, & oſtenſa prodigia, inter ſanctos haberi cœpit. Vrbis Cracouienſis Epiſcopus, cum propter primariæ in Polonia ciuitatis Epiſcopalem dignitatem, tum verò etiam ob maximas opes, inter Poloniæ epiſcopos ſupremum honoris gradum vendicat. Eccleſiæ Cathedralis Prælati & Canonici, in magna ſunt apud Polonos dignitatis & facultatum opinione. Nemo enim niſi eques ſit ex vtroq; parente, & nobilita-

tis ſuæ inſignia ſufficientibus teſtimonijs demonſtrauerit, in Collegium Canonicorum adſcribitur. Inſtituta ſunt nihilominus, aliquot pro candidatis humili loco natis, ſacerdotia. Canonicatus omnes, & vt vulgò appellant prælaturas, sũmus pontifex, & Epiſcopus, diuiſis inter ſe temporibus conferunt, primarijs aliquot ſacerdotijs exceptis, quarum Rex ipſe conferendarum poteſtatẽ habet. Boleslaus Pudicus, Cracouienſis, & Sendomirienſis prouincię Dux, qui cum quinquaginta duos annos, minoribus Polonis imperaſſet, Anno Chriſti

Chriſti, milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono, vitam 1279
cum morte commutauit: Epiſcopum, & eccleſiam Cracouienſem, ſingularibus exornauit priuilegijs. Epiſcopum quidem ducali iure vti, in vniuerſa ſua ditione iuſsit. Etſi, poſtea Sbigneus Oleſnicius, Cardinalis, & Epiſcopus Cracouiẽſis, Ducatum Seuerienſem ab Venceslao Ceſinenſium Duce, ęre priuato comparauit, & ex eo tempore, Epiſcopi Cracouienſes, Duces Seueriæ, appellari cæpti. Sbigneus Cardinalis, vir fuit omni laude, prædicationeq́;, dignißimus: vt pote

te qui Ecclesiæ vindex, atq; defensor acerrimus, & libertatis Polonæ custos apud reges studiosissimus, extiterit. Obijt
1455 autem, Anno Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto. Omnibus præterea diocæsis Cracouiensis sacris ordinibus, eorumq; subiectis hominibus, Boleslaus princeps, vectigalia, seruitutis onera, & portoria remisit: & ab omni sua, suiq; magistratus iurisdictione, liberos declarauit. Prælatis item & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, senos ex equestri ordine, duodenos de plebe, ab expedi

peditione bellica ministerij sui causa, liberandi potestatem fecit: minorum verò Collegiorum Canonicis, dimidiam eius numeri partem. Nostra tẽpestate, ecclesiæ Cracouiensis Episcopatum gerit, Franciscus Crassinius de Crasne, eques Masouius, qui in obeundis Sigismundi Augusti regis nomine, apud Maximilianũ secundũ imperatorẽ, legationibus; & tractãdis maximis Reipub. negocijs, summam sibi apud omnes laudem comparauit.
Castellanus Cracouiensis, in Senatu regni penes Episcopos est princeps. Palatinus, secundum

dum post eum dignitatis gradum, tenet. Præfectus vrbis, capitalium causarum curam gerit. Sunt & ciuibus peculiares magistratus, quos consules & proconsules, vocant; qui ex arbitrio Palatini creantur. Est Cracouiæ bonarum artium gymnasium, Vuladislai primi Iagelonis regis liberali-
1401 tate, circiter millesimum quadringentesimũ primum annũ, conditum. Ibi Mathematicarum, Theologiæ, Philosophięq; studia, maximè florent. Legum quoq; sacrarum cupidos, pontificium ius docetur. Sunt item plæraq; Collegia, vbi

vbi frequentes literarum studiosi degunt: & leuibus sanè propter summam annonæ vilitatem, sumptibus. Quare cõcludendum est, Cracouiam, inter Polonicas vrbes, dignitate, opibus, cõmerciorum & opificiorum varietate, incolarum & externorum numero, rerumq; omnium ad victum & cultum corporis pertinentium abundãtia, primam esse. Mercatores quidem ditissimi sunt, & cum externis quoq; magna negotia habent. Fuit olim Verincus quidam natione Germanus, ciuis Cracouiẽsis, qui cũ Casimirus magnus

Rex, Elisabetæ Boguslai Ducis Scecinensium filiæ, nepti suę, quã Carolo quarto imperatori coniungebat, nuptiarum festos dies celebraret: Imperatorem, Ludouicum Vngariæ, Casimirum Polonię, Sigismũdum Gottorum, siue Danorum, Petrum Cypriorum, reges; domi suæ conuiuio excepit; Regi Polono domino suo plus centum millibus aureorũ nummum dono dedit; Cæsarem, cęterosq; reges paulò minoribus affecit muneribus. An-
1363 nus quo hæc gesta sunt, millesimus tercentesimus sexagesimus tertius, post Christum natum

natũ fuit. Altera Poloniæ vrbs est Posnania, quam Varta celebris fluuius alluit. Hæc post Cracouiam, & superbarum ædium splendore, atq; magnificentia, & mercatorum atq; opificum omnis generis numero, & omnium rerum ad luxũ & vsum necessarium copia, cæteras Poloniæ ciuitates antecellit. Episcopus Posnaniensis, cum magna apud Polonos dignitate, magnas quoq; opes cõiunctas habet. Hodie Adamus Conarius, eques Polonus, in quo incredibilis virtus, cum summa nobilitate certat, episcopi munere fungitur. Palatini

Posnaniensis, illustris est in Senatu regni auctoritas. Castellanus etiam regni Senator censetur. Penes has duas primarias vrbes, cernitur Vuladislauia, ad Vistulam fluuium sita; quæ etsi superioribus nulla ex parte comparanda videtur, Episcopali tamen Cathedra est insignis. Episcopus Vuladislauiensis, qui & Cuiauiensis, & Pomeraniæ nuncupatur: cum sit ex principibus Poloniæ Episcopis, amplissimam habet diocęsim. Dantiscum etiam, vrbs totius Aquilonaris regionis nobilissima, & vniuersæ ferè Europæ emporium frequentissi-

tissimum, Vuladislauiēsi Episcopatu continetur. Nunc ad eius Episcopatus gubernacula sedet, Stanislaus Carnicouius, equestri apud Polonos, in prouincia Dobrinensi ortus familia; vir & religione, & illustribus apud exteros reges perfunctis legationibus, clarissimus. Sunt præterea, plerēq; nobiles in Polonia ciuitates; quæ etsi vrbium nomen nō merentur, Palatinorum tamen, & Castellanorum, amplissimæ & frequentissimæ prouinciæ, ab illis sumunt appellationem. Palatini, lingua patria (Voieuodæ) quod militiæ duces signi-

 ficat,

ficat; amplioribus regio nomine præſunt prouincijs: Caſtellani, anguſtiorum regionum ſunt præfecti. Frequentiſsimi nihilominus paſsim ſpectantur pagi, & innumera propemodùm Caſtella, quæ quãuis ex rudi plerunq; lignorum materia, ſint conſtructa: habitatoribus tamen, & rebus ad propagandam hominum vitã neceſſarijs, magnoperè abundant. Illuſtres autem rariores eſſe vrbes, penes principes, & nobiliores viros, culpa reſidet. Illi enim, non ciuitates regias, (quemadmodum conſuetudo apud Italos & Hiſpanos obtinuit

nuit) ſed oppida & pagos hæreditarios, (mercatorum eſſe, & opificum degere in vrbibus exiſtimantes) colunt. Viſuntur etiam per vniuerſam Poloniã innumera ferè ſummisq; aucta opibus, religioſorum virorũ, & ſacrarum virginum cænobia: ſed Ciſtercienſium familia, ædificiorum ſplendore, & ampliſsimis præſtat facultatibus. Abbates in vniuerſum monachorum ſuffragijs electi: regio, & Epiſcoporum iudicio, confirmantur: habitu religioſo vti, & in monaſterijs vitam agere, conſtricti. Arces, ſi quę ſunt in Polonia, non ad ſuſti-

 nen-

nendam diuturnam obſidionem: ſed ad reprimendos tantummodò primos hoſtium impetus valent. Summæ totius regni vires, non in munitiſsimis caſtrorum propugnaculis: ſed in validiſsimis, & expeditiſsimis nobilium virorum turmis, conſtitutæ ſunt. Quotiescunq; enim hoſtes adeſſe nunciãtur; iuſtus in vnaquaq; Poloniæ prouincia, ex ſolis nobilibus, ad reſiſtendum, ſigno dato, cõflatur exercitus. Hæc de vrbibus Polonicis dicta ſunto; ſupereſt vt Remp. Polonam depingamus.

DE REIPVB. POLO*næ forma.*

CAP. V.

REipublicæ Polonæ primordia, mihi in annalibus Polonorum diligentius inueſtiganti: eam, iam inde à primis creſcentis regni exordijs, imperio principum adminiſtratam eſſe ocurrit. Quæ enim de Lecho primo gentis duce, vulgò circunferuntur; non regium, ſed potius principis titulum, illi videntur adſcribere. Sed quandiù is apud Polonos regnauerit, quosq; liberos reliquerit, &

& quando ipſius poſteri impe rauerint;nemo hactenus,quod ſciam, litterarũ monumentis, mandauit. Sublata Lechi prole, vnius principis imperium aſpernata gens Polona, duodenos ex omni procerum numero Duces, (quos Palatinos appellauit) delegit; illisq́; vniuerſæ Reip. commiſit adminiſtrationem. Sed quando hoc factum ſit, & quandiù Palatinorum dominatus manſerit, non conſtat. Hoc tamen certum eſt, neq́; hac Reip. geren dæ ratione Polonos fuiſſe con tentos. Quamobrem regnandi poteſtas, iterum ad vnum

delata

delata eſt. Cracum hunc fuiſſe, Polonica teſtatur hyſtoria, Cracouienſis vrbis conditorẽ; quem nonnulli Grachum exulem Romanum volũt eſſe. Sed falſò. Cracus, ſi Vapouio, hy ſtoriographo Polono, credimus: circiter ſeptingẽteſimũ à 700
Chriſto nato annum, ad gubernationem Polonię adſcitus eſt. Extincta Craci ſtirpe, Reſ pub. Polona, denuò ad duodecim Palatinos recidit. Suppreſſo deinde Palatinorum im perio; Pręmislus, homo plebeius, ſed aſtutus, propter rem cõtra Hungaros bene geſtam: poſt ſeptingẽteſimũ, quinqua

geſimũ

760 gesimum, vel sexagesimum,
humanæ salutis annum, omniū suffragijs princeps creatus.
Hunc alij, atq; alij, longa temporum serie secuti principes,
ad Boleslaum vsq; ducē, Reip. Polonæ clauum tenuerunt. Boleslaus primus, ab Othone
Ruffo Saxone, eius nominis tertio imperatore Romano,
abiecta Ducis appellatione, in ciuitate Gnesnensi, Rex, socius, & amicus Romani im-
1001 perij appellatus est. Anno christi millesimo primo. Successerunt Boleslao cæteri reges, ad
Vuladislai principis vsq; tempora; qui post patratam à Bo-

leslao

leslao secundo rege, Stanislai Episcopi necem, regium neglexit titulum, & princeps appellari voluit. Eius exemplum
secuti alij, principum titulo contenti fuerunt. Successit tandem Præmislus, qui resumpta,
& renouata, apud Polonos regia dignitate; cōmunibus procerum, & nobilitatis iudicijs
Rex electus; ab Iacobo Archiepiscopo Gnesnensi, coronatus est. Anno millesimo du- 1295
centesimo nonagesimo quinto. Cæteri qui in Polonia regnarunt, ad hodiernam vsq;
diem, Reges appellati. Quæ cum ita sint, constat Poloniā

regnū

regnum esse, regioq; guberna ri imperio. Sed mihi nunc, de antiquis & recentioribus Rerumpublicarum, & regnorum gubernaculis, cogitanti: venit in mentem, regiam hanc nostram Rempub. Polonã, (quæ non vnius ciuitatis continetur mœnibus: sed per omnes totius regni prouincias, est diffusa) post tot diuersas, multiplicis administrationis rationes, constitutam tandem esse sapiẽtissimè. Aristoteles quidẽ Philosophorum princeps, quatuor Reip. administrandæ formas depingit. Aut enim populus libertatis cõsectator, Reip. guber

gubernacula vẽdicat; vel summa rei, penes paucos est, opũ studiosos priuatarum: aut præstat optimatum imperium: vel ad vnum Reip. defertur gubernatio. Gens Polona, nullam peculiarem istius administrationis partem secuta; populum quem plebis nomine complectitur, ab vniuersa rerum publicarum procuratione, abesse iussit. Turpè est enim, ex ignobili plebis fæce, creari magistratus: & eos vicissim cernere, ad Reip. gubernacula constitutos: qui & seruiunt quæstui, & in sordidis occupantur opificijs. Accedit populum neglecta

glecta communi vtilitate, priuatis rationibus, priuatæq; incumbere auaritię. Quod enim est omnium, nullius esse existimatur. Plebs item fluxa, & volubili est fide, & nunc in hanc, nunc in alteram partem, facillimè traducitur. Quod si superiorum temporum monuméta euoluamus, Rom. Resp. terrarum orbis imperatrix, tribunicijs plebis furoribus profligata, cum libertate amplissimi imperij dignitatem amisit. Nihil nunc dico, de proximis patrum nostrorum memoria, rerumpublicarum euersionibus, quas insanissimis plebeiorum

rum

rum consilijs, & superbis cum nobilibus concertationibus, cecidisse manifestum est. Noluerunt etiam Poloni superiorum Palatinorum admoniti insolentia: paucis hominibus Reipublicæ mandare gubernacula. Sæpè enim vsu venit, vt isti tales, despectis imbecilliorum viribus, cõtra viros honesta conditione natos grassentur, eorumq; facultates appetant. Optimatum in Polonia auctoritas, qui ex patribus & nobilitate constant, regio imperio; regia potestas vicissim senatus & equestriũ hominum libertate temperatur. Quare

F con

cõcludendum tandem eſt, pul
cherrimam hanc regiã Remp.
Polonam, tali eſſe conditione;
vt rex quidem, liberis patrum,
& nobilitatis electus ſuffragijs,
& ab Archiepiſcopo Gneſnen
ſi, regni primate, coronatus; ſit
omniũ princeps, & dominus,
qui ampliſsimi Senatus, & cla-
riſsimæ nobilitatis, adiutus cõ-
ſilijs, vniuerſam totius regni
molem ſuſtineat. Nec iniuria.
Vertitur enim nimia regũ po-
teſtas in furorem, gignit libi-
dines, omnium ſcelerum, om
niſq; iniuſtitiæ eſt ſeminariũ;
niſi ſapientiſsimis Senatorum,
& nobilitatis animaduerſioni-
bus,

bus, intra æquitatis terminos
contineantur. Sed quia maxi-
mę apud nos sũt regibus opes,
quæ ad opprimendam publi-
cam libertatem, interdum ad-
minicula ſolent eſſe non vul-
garia: non vectigalia modò,
præfecturæq́; omnes, nobilibus
viris mandantur: ſed & vitæ
quoq́; regiæ cuſtodia nobilita-
ti credita. Illi enim, qui liberis
omnium ordinum electus eſt
rex ſuffragijs; non ad euerten-
da priuilegia, ſed ad propagan
das immunitates incumbendũ
eſt. Secus certè in regnis vſu ve
nire ſolet hæreditarijs; vbi re-
ges, impunè faciendi omnia
 pote

poteſtatem habent. Neq́; ego negauerim, totius terrarum or bis reges, Dei Opt. Max. nomine imperare: Deos tamen non eſſe. Cum itaq́;, iam inde à primis Polonorum primordijs; Senatus, & nobilitas vniuerſa Polona, ſui muneris admonerent regem: Rex grauiſſimorum conſilijs virorum niteretur: illi viciſsim regiæ Maieſtatis ſplendoré reueriti eſſent: ſola ex omnibus regnis Polonia, ſalua, incolumis, & ab omni iniuria, & detrimento integrá, viuit ſuis legibus, & cætera dignitatis, & libertatis ornamenta, ad hanc vſq́; diem

cōſtantiſsimè retinet. Soli etiā Dei beneficio præter cæteras gentes Poloni, eligendi regis facultatem habent.

DE ELECTIONE ET *Coronatione Regis.*

CAP. VI.

IS qui apud Polonos Reipub. gubernacula gerit; non naturæ legibus quemadmodum cæterarū gentium reges, in paternum & auitum regnū ſuccedit: ſed cōmunibus Senatorij, & equeſtris ordinis ſuffragijs, publicaq́; totius nobilitatis acclamatione, Rex eligitur. Senatores,

Archiepiſcopi, Epiſcopi, Palatini, Caſtellani, & ſupremi regni officiarij, cēſentur. Equites, ſiue nobiles, conſecutam ſemel virtute maiorum nobilitatem, perpetuo hæreditaris iure vſurpant. Quod ſi ſuperiores reges, continuato plærunq; temporum contextu, Remp. Polonam adminiſtrarunt; hoc non legibus hęreditarijs, quas ſibi vendicare prohibentur, ſed eorum preſtantiſsimis virtutibus, & innatis nobilitati Polonæ erga regiam prolem ſtudijs, adſcribendum eſt. Nati enim paternæ virtutis hæredes, iudicantur. Et quòd

in parentibus admirari, hoc & de filijs eorum ſperare, ſolemus. Qua quidem conſtanti totius gentis opinione, Piaſtorum ſtirps quingentorum: Iagelloniorum familia, ducentorum ferè annorum ſpatio, in Polonia regnauit. Electionis certè vniuerſa ratio, eam ob cauſam inſtituta; vt ſi qui Reges, aut ab officio deflectere, vel publicas oppugnare libertates vellent; hac ſaltem lege, & liberorum charitate, in officio continerentur. Quemadmodum ergo olim, Romani imperatores, prætorianorum militum ſuffragijs, Cæſares ap

pellabantur: ita nunc Rex Polonus, eligitur Senatorum & nobilitatis iudicijs. Creandi regis causa, vniuersæ Poloniæ Comitia indicuntur: in comitijs, de subrogando Rege disceptatur. Cæterùm longè maiori apparatu, maiori(que) procerum & equestrium hominũ frequentia, ea celebrantur: cũ non regis Poloni filium, aut fratrem, sed alium quempiam, eligere contingit. Tunc enim cum res sit summæ considerationis, summi(que) consilij, ingens nobilium virorum numerus, ad celeberrimi spectaculi famam confluere consueuit.

Mos

Mos est apud Polonos antiquus, vt cum creandi regis causa conueniunt; in patentibus potius cãpis, quam in vrbibus deliberare mallint. Erigitur ita(que) in amplissima planicie Senatui tentorium: Pontifices, proceres, equites(que), circũqua(que) castra locant: firmissimi(que) præsidij causa, validissimis & numerosissimis militum turmis vallantur. Vniuersa de rege cõsultatio; ab inuocãdo numine diuino sumit exordium: deinde externorum audiuntur legationes: tandem regni petitores appellantur: qui aut extranei principes, vel etiam regni

proce

proceres, equitesq; esse solent. Datur principibus aliquot Senatoribus, singulorum prædicandi virtutes prouincia; vtilitates, & incommoda explicantur: postremò exquiruntur ab Senatoribus & vniuersa nobilitate suffragia. Hic est demum apud Polonos legittimus Rex, in quem, vniuersi totius regni ordines, consentientibus inter se iudicijs conuenerint. Perfecta electione solenne iusiurandum repetitur ab Oratoribus electi regis, si qui forte adsunt; Rex ab Archiepiscopo Gnesnensi regni primate pronuntiatur; & per supremos Mare-

salchos cunctæ denũtiatur nobilitati: decretũ totius electionis conficitur: & singulorum procerum sigillis obsignatur. Hoc ordine, nostra ætate electus est Rex, Hẽricus Valesius, Andium, Borboniorum, & Aruerniorum Dux; Caroli noni, christianissimi Gallorum regis frater; cui nemò christianorũ regum, vel in tuenda religione Catholica studio, vel altitudine ingenij, vel etiam rerum gestarum gloria, cõferendus esse videtur. Postquam verò Rex est apud Polonos declaratus, antiquissima christianorum regum consuetudine, sacro oleo

vngitur, regijsq; illustratur insi gnibus. Quamobrem Comitijs denuò promulgatis; singuli ex omnibus regni prouincijs Pontifices, & proceres, in vrbe Cracouiensi primaria, fælici Sarmaticæ gentis domicilio, adesse iubentur: frequentissimi vndiq; Senatores, & splendidissimæ equestrium hominũ turmæ, conueniunt. Archiepiscopus Gnesnensis, ab vetusta superiorũ temporũ memoria, coronandi regis ius habet. Is ergo põtificibus, principibus, & nobilitatis stipatus corona; adiuuantibus in solennibus cærimonijs Episcopis, assentien

sentien

sentiente vniuerso equestri ordine, in Cathedrali vrbis Ecclesia, regem sacro oleo inungit, regioq; diademate exornat: sacramento fidei adigit, ita vt libenter iuret, se Ecclesię Catholicæ auctoritatẽ deffensurum, pugnaturum aduersus sacrosanctæ religionis Catholicæ hostes; leges, libertatem, priuilegia, Ecclesiastici, & profani in Polonia ordinis, conseruaturum. Tunc demum Archiepiscopus, regia insignia, regi de manibus tradit. Ensem videlicet, quo irruentẽ in Poloniam barbarorũ colluuiem reprimat; sceptrum, vt religio

sè

sè ſubiectis gentibus imperet; orbem aureum, cum præfixa cruce gemmis diſtinctum, vt Sarmatiam permultas terrarũ orbis regiones continentem, ſumma virtute regat. Poſtremo regem in excelſo regum ſolio ſedere iubet. Atq; ita Rex Polonus, legittimè primũ electus, deinde ritè coronatus; ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, qui Romani Põtificis vice fungitur, & ab vniuerſa nobilitate Polona, regnandi poteſtatem ſumit, & auctoritatem; & verus, atq; legittimus princeps, cenſetur.

DE REGE POTESTATE, *& opibus in Polonia regijs.*

CAP. VII.

Vniuerſa Reip. Polonæ ratio, huc ſpectare videtur; vt regi apud Polonos, ſit conſtitutis legibus imperandum. Ex quo longè diuerſa eſſe, cæterorum gubernacula regnorum, conſtat. Ibi enim quidquid regibus placuit, iuris habet vigorem: hic non modò nullam Rex ſine ſenatus conſilio, & nobilitatis aſſenſu, fert legem: ſed & certis legibus obtemperare iubetur. Incredibilis tamen eſt regum in Polonia poteſtas, ſummuſq;

musq; regiæ Maiestatis cultus; cum ex præscripta communiū sanctionum forma, regnare iu dicantur. Quod enim omniū caput censetur, maxima est pe nes reges iuris dicendi auctori tas. Et quamuis, nihil in quē-piam, sine auctoritate iudicij statuant acerbius; condonandi tamen mulctas, & ab legibus parata nece vindicandi, libertatem habent. Eorum est etiam, ad repentinos. Reipub. casus, hostium vrgente periculo, vniuersam nobilitatem, signo dato, ad arma vocare, & irruentibus inimicorum copijs, sub vexillis opponere: merce-

mercenarium militem conscribere, creare militiæ magistros, exautorare exercitum, & in violatores bellicarum sanctionum animaduertere. Sed omnium potissima est regum in creandis magistratibus, & cōferendis honoribus facultas. Vt enim à primis exordiar, omnes Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, primosq; Ecclesiarum prælatos, beneficio sedis Apostolicæ, appellant. Palatinos, Castellanos, Mareschalcos, Cancellarios, Procancellarios, Thesaurarios, qui sunt regni senatores, ex arbitrio suo faciunt. Gubernatores, Capi-

 taneos

taneos, Iudices, cæterosq; regionum magiſtratus, in ſingulis præficiunt prouincijs: Secretarios, ſupplicium libellorum magiſtros, & reliquam curialium miniſtrorum turbam, creant: homines plebeios, propter egregia æquè in bello ac in pace edita virtutis facinora, iure nobilitatis ornant: Caſtella, pagos, vicosq; regales, uiris de Rep. benemeritis vtendos concedunt: Proſcriptorum, & ſine legittimis hęredibus decedētium agros, nobilibus viris iure ſempiterno donant. Omnes demū legationes, leges, litteræ, ſingula pri-

uilegia, & vniuerſa bellorum, fœderū, & induciarū negotia, regio nomine cōficiuntur, & regijs ſigillis obſignantur: ita tamē, vt plus in ijs omnibus tota Reip. vniuerſitas, quam Rex ipſe, poteſtatis, habeat. Hæc tanta, tamq; excellens, regiæ auctoritatis dignitas, non mediocribus quoq; opum præſidijs, fulta eſt. Permultæ enim præclariſsimæ, in ampliſsimo maximi atq; opulenti regni imperio, vrbes: frequentiſsima regia per omnes prouincias oppida; vici & pagi propemodū infiniti; portoria ex mercatura, locupletiſsimos cenſus pa-

riunt. Magna quoq; pecuniarũ uis, ex fortunatiſsimis ſalis, (quod admirabili naturæ beneficio, è profundiſsimis terræ venis, ſaxorum in morem erui tur) argenti, plumbiq; ſectuis, in Theſaurum regium quotannis infertur. Certos tamen annuos redditus, & peculiarẽ nummorum cenſum deſcribere; nec poſſum, nec audeo. De hoc dubitandum non eſt, excreuiſſe regias opes, ad multa centena aureorum nummũ millia. Sed incredibilis annonæ vilitas, ſummaq; Eccleſiarum, & nobilitatis priuilegia faciũt; vt minores ſint noſtris,

quam cæteris regibus cenſus. Vt enim de libertate Eccleſiaſtici ordinis taceam, nobilitas vniuerſa, omnibus ſoluta vectigalibus, bellica tantũmodò munera; priuatis obire ſtipendijs, tenetur. Agricolæ equeſtrium hominum, uix ſenos, in ſingula iugera, ſolidos; agnoſcendæ regiæ poteſtatis cauſâ pendunt: regia item plebs, moderatum vectigal ſoluere adſtricta. Licet tamen interdum regibus apud Polonos, ex ampliſsimi conſilij ſententia, vniuerſis totius regni ordinibus, imperare tributum: quod qui dem in communes, & potiſsi-

mum bellicos totius Reipublicæ vſus, confertur. Verumtamen Rex Polonus, innumerabili voluntariorũ militum fretus equitatu, ſuperat omnium chriſtianorũ regum, in vnum locum congeſtas opes; ſuperat diuitias. Is enim ex omnibus apud chriſtianos inuenitur; qui ex ſolis nobilibus, priuatis ſumptibus regni militiã exercere adſtrictis; centũ quinquaginta, grauioris, & leuioris armaturæ, equitum millia, cogere: & in aciem ſecum ſi res ferat educere poſsit. Mirũ id cuipiam videbitur; ſed me non inania potius Polonæ gentis

tis præconia, quam commune, & conſtans totius Sarmatiæ iudicium; quod ex deſcripta ſingularum prouinciarum militia conſtat; ſcribere mortales credant. Teſtes hic mihi adeſſe volo, homines Italos, Gallos, Hiſpanosq́; qui regiones Sarmaticas non viderunt modò, ſed etiam ad vnguem perluſtrarunt. De Germanis, & Hungaris, atq́; Boemis, haud loquor: illis enim propter vicinitatem, regis Poloni vires notiſsimæ ſunt. Hi omnes, vno ore confitebuntur, vera eſſe quæ ſcribimus. Verùm quidẽ eſt, Polonos nobiles, non niſi

ad propulſandam hoſtiũ vim, intra Sarmatici regni fines, pro prijs militare ſtipendijs; quod ſi ad inferendum, exteris gentibus bellum, vltra Poloniam proficiſci iubeantur: ſingulis ternis menſibus, quinos aureos nummos, ſtipendium in haſtam accipiunt. Hoc itaq; inuſitato apud cęteras chriſtiani orbis nationes, bellandi genere; reges Poloni, & potentiſsimi, & locupletiſsimi omnium regum, iudicátur. Quis eſt enim per Deum immortalem, in toto terrarũ orbe Rex, qui non vniuerſas regni opes, in alendis exercitibus, abſu-

mat? Vni omnium dei beneficio, in Polonia reges, & inſtructiſsimum omni armorum, & nobilium equorum genere, colligere exercitum: & cum quouis potentiſsimo hoſte decertare, ſine vllo ærarij ſui prę ſidio valent.

DE SENATV, ET *magiſtratibus Polonicis.*

CAP. VIII.

AVguſtiſsima eſt Senatorum regni apud Polonos dignitas; vt quæ primum poſt regem amplitudinis locum vendicare, ſine aliqua controuerſia conceda-

tur. Sunt autem principes regni Senatores, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, propter admirabilē Ecclæſiaſtici ordinis Maieſtatem, & opes maximas, totius regni baſes: qui in Senatu, vtrunq; regis latus tegunt. Secūdas Palatini auctoritatis partes vſurpant. Hic eſt antiquiſſimus in Polonia magiſtratus; vt potè penes quem, ſublatis olim principibus, sūma Reip. adminiſtratio, bis fuit. Nunc reſtricta poteſtate, & iuriſdictione, non Senatores tantùm regni, ſed etiam ampliſsimarum regionum pręfecti, ac iudices; & quæ in eorum prouin-
cijs

cijs conſcribitur nobilitatis, in bello ſunt Duces. Proximi Palatinos ſequuntur Caſtellani, Cracouienſi excepto, qui Palatinos omnes antecedit, & quibuſdam alijs qui Palatinis ſunt permixti. Hi non caſtris, vti etymologia vocis ſonat, ſed minoribus nomine regio præſunt prouincijs. Cæteri Senatores, ſupremi totius regni officiarij, appellantur. Quorum alij ſunt Poloniæ, alij Lituaniæ Mareſalci; alij item Cancellarij, & Procancellarij, ærarij præfecti cæteri. Duæ ſunt Mareſalcorum claſſes, ſummorum, & Curalium. Ad hos di-
cere

çere ius curialibus, delinquentes mulctare, facinorosos afficere supplicijs, curare totius aulæ tranquilitatem, partiri inter proceres & aulicos regios vrbium ędes, pertinet: & vt quisq; officio suo apud regem fungatur, prouidere. Singuli sublatos incedenti regi baculos, prætendunt. Sed in publico regni consilio, supremi Poloniæ, & Lithuaniæ Mareſalci, vtriusq; gentis Senatores dicere sententiam, & quos non in Senatũ adscriptos animaduerterint, imperant discedere. Quod si fortè his abesse, contigerit, Curiales Mareſalci,

eorum partes exequuntur. Bina maiora Poloniæ & Lituaniæ sigilla, vterq; Cancellarius: ambarum nationum Procancellarij, minora seruant. Omniũ auctoritas legibus exæquata. Sed Cancellarij & Procancellarij munere; sacerdotes, & laici, alternis vicibus, in Polonia funguntur. Curant autem regias conscribere epistolas, literas, leges, priuilegia, edicta, Senatusconsulta, decreta, non modo regio iussu conficiunt: sed etiam obsignant, & ne quid contra leges publicas comittatur diligentissimè obseruant. Ad eos primum scri-

tę regi epiſtolæ deferuntur: illi lectis literis regem cōueniunt, & vniuerſam earum ſeriem exponunt. Proponunt etiam in Senatu, regio nomine, conſultationū ſummam: externorum regum reſpondent oratoribus: legatos in peregrinas prouincias mittendos, de omnibus legationum capitibus inſtruunt: regiq́; in gerēdis Reip. gubernaculis, quotidiano cōſilio, opitulantur. Quare cum quis ad ſupremos & extremos aſpirat honores; Cancellariorum, & Procancellariorū, ſtudijs nititur. Omnes regij, & Reipubl. cenſus, tributa, &

vectiga

vectigalia omnia, ærarij præfectis mādantur. Ad eos annui deferuntur redditus: illi in regios, & Reipub. vſus partiuntur. Is eſt potentiſsimi regni Senatus: ea Senatorum appellatio. In eam verò nunc excreuit magnitudinem, vt non Poloniæ tantum, de qua nunc nobis eſt ſermo: ſed etiam omnium, quæ in idem Reipub. Polonæ abierunt corpus prouinciarum; de quibus poſtea dicemus: Senatores, ampliſsimo Senatu contineantur. Duo ſunt in vniuerſo Regis Poloniæ imperio Archiepiſcopi, Gneſnenſis regni primas, &

Archie

Archiepiſcopus in Roxolania regia Leopolienſis. Epiſcopi in vniuerſum tredecim, Cracouienſis, Poſnanienſis, Vuladislauienſis, Vilnenſis, Plocen̄, Varmienſis, Præmislienſis, Luceorienſis, Culmenſis, Chelmenſis, Samogitiæ, Chiouienſis, & Camenecēſis. Hos ex veteri priuilegio, Caſtellanus Cracouienſis ſubſequitur, militarium procerū princeps: deinde Palatini, & intermixti Palatinis Caſtellani; tunc demum alij Caſtellani, & ſupremi regni officiarij, continuata ordinis ſerie ſuccedunt. Omnibus eadem eſt perpetua & conſtans

ſtans, tuendæ publicæ libertatis, & propagandi regni voluntas: in Senatu cum de Republica deliberant, liberè, & ſæpius acerrimè ſententias dicūt: regem imprudentins regnantem obiurgant: atq; vnó conſenſu, ſanctiſsima maiorum inſtituta, & vniuerſas communis patriæ leges, inſuperabiles defendunt. Nec iniuria: Omnes enim, ex præcipua, & illuſtri totius regni nobilitate, generis & virtutum commendatione delecti: exacto fidei ſacramento, in Senatum adſcribūtur. Ex ampliſſimis etiā opibus, & copioſo militarium vi-

rorũ præſidio, prædlti in Sena toribus ſpiritus excitãtur. Mul ti enim centenos nobiles, & in ferioris conditionis famulos, totidemq́; patrios, & ex omni regionum ſobole maximè generoſos, ac inſano ſumptu toto terrarum orbe conquiſitos equos, priuatis sũptibus alunt. Primoribus certè octoginta, & quadraginta, mediocribus duodena, triginta, & dena, poſterioribus quaterna, & terna, aureorum nummum millia, quotannis veniunt. Quam etiam ob rem tanta ſunt apud regem veneratione, vt Pontifices dominos; Palatinos, Ca-

ſtellanos maiores, sũmosq́; regni officiarios, magnificos: minores autem Conſiliarios, generoſos, & fideles in literis appellet. Venientibus ad ſe, non ſine magna oris ſuauitate, cum grauitate coniuncta, aperire caput; & in proximo diſcumbendi loco poteſtatem facere conſueuit. Sunt & cætera quoq́; ſummæ auctoritatis apud Polonos officia: ſed ſplendidiſsimus militiæ totius regni ducis, in exercitu magiſtratus, penes quẽ in acie ſumma rei reſidet, potiſsimũ excellit. Quare hoc tam illuſtri honoris gradu, nõ niſi principes donantur Sena-

tores. Præſtāt & militiæ duces, vulgò cāpeſtres appellati. Nobiliſsimus etiam quiſq;, maioris Poloniæ præfectura augetur. Summus regis Secretarius, ad tractanda grauiora regni negotia, in conſilium admittitur. Supplicium libellorum magiſtri, ſubditorum querelas ad regem deferunt. Ciuitatum, & oppidorum Capitanei, Salinarum, & metallorum, præfecti; & dignitate, & opibus antecellunt. Illis capitalium iura negotiorum; his ex metallorũ ſecturis regij cenſus cõmittuntur. Neq; ignobilis eſt enſiferi regni, dignitas. Vexillifer curiæ

regiæ, curiale vexillum in bello defert. Sed ex cęteris quoq; regionum officijs, non mediocris nobilibus viris dignitatis ſplendor accedit. Sunt autem prouinciarum officiarij, Iudices, pincernæ, ſuccamerarij, dapiferi, vexilliferi, ſcribæ, tribuni militum, & cæteri: qui vna cum Iudicibus, prouincialibus, qui nobilitati ius dicunt, particularia exercent iudicia. Omnes Secretarij, commēdatam ſibi ab rege, & Cancellarijs ſcribēdi prouinciam, exequuntur. Regij cubiculi, ſtabuli, culinęq; magiſtri: ſua quoq; obeunt munera. Nobiles au-

lici, & ſtipendia regia merentes, in præſtandis quotidianæ ſeruitutis officijs, regi operam nauant. Cubicularij, vel potius veredarij, qui cum epiſtolis regijs, per omnes regni prouincias diſcurrunt; & ſatellites regiæ vitæ cuſtodes, poſtremas dignitatis partes vſurpant. Totus ſanè regiæ aulæ comitatus, ſuperiorū regū memoria, M. D. equitibus, quandoq; etiā binis equitum millibus, abundabat. Tantus eſt enim apud Polonos, ſeruiēdi natiuis regibus ardor, tantūq; gratificādi ſtudiū; vt cum innumeri regiā, æquè in bello, ac in pace, priuatis ſumpti-

ſumptibus aucupētur gratiam: libentèr etiam facultatum ſuarum iacturam faciant.

DE NOBILITATE *Polona.*

CAP. IX.

OMnes illuſtres, & ciuilioris vitæ cultrices nationes; iam inde ab exordio terrarum orbis, pulcherrimum nobilitatis ornamentum, in primo humanæ fœlicitatis domicilio collocauerunt. Cum enim aliqui mortalium eſſent; qui excellenti rerum ab ſe geſtarum gloria cęteris antecellerent, iuſtaq; virtu

 ti-

tibus premia deberi apud omnes iudicarentur; sapientissima vetustas, eos qui in toga, aut etiam in bello quidpiam præstitissent egregiũ, ad excelsum nobilitatis gradum extulit. Et quoniam indignum erat, illustria clarissimorum hominum facinora, vna cum eorum vita occumbere; diuturna constantiq; omnium ferè gentium consuetudine in vsum venit; vt parẽtum virtute parta nobilitas, ad legittimos quoq; eorum heredes transmittatur. Et optimo sanè consilio. Fortes enim plærunq; ex fortibus procreantur. Etenim si semen vberi iniectũ

agro

agro copiosum reddit fructũ, et ex optimis animantibus, generosa gignitur soboles; quantò magis id consentaneum est vsu venire in hominibus, vt ex fortibus fortissimi proueniãt; & cum sibi præclarissimas maiorum imagines ob oculos versari animaduertunt, eorũ præstantissimas virtutes imitari velint. Nostra quidem tempestate; vt de antiquis Græcis & Romanis taceam; in omnibus omnium christianarum gentium regnis, & apud plærasq; liberas vrbes, summa est antiquæ nobilitatis auctoritas: viri autem illustri, ac nobili loco orti

prima

prima rerum gerendarum ven
dicant gubernacula. Incredibi
lis eſt apud Gallos veræ nobili
tatis ſplendor; Germani nobi
litatem amplectuntur: Hiſpani
ornamento gaudent nobilita-
tis: Itali ab Romanis vſq; iura
nobilitatis deducunt. Sed Ve-
netorum antiquiſsima poſt ho
minum memoriam Reſpubli-
ca, ſummũ dignitatis honorẽ
nobilitati detulit. Ibi enim pe-
nes nobiles vniuerſæ Reipub.
adminiſtrandæ cura manet; ex
quibus ſapientiſsimus toto ter
rarum orbe conſtat Senatus;
qui diuiſis mirifico inter ſe or-
dine magiſtratibus, & fœliciſsi
mam

mam, atq; ipſo ſitu admirabilẽ
vrbem Venetam, & cęteras di
tioni Venetę ſubiectas prouin-
cias, validiſsimas Claſſes, & po
tentiſsimos exercitus, ſumma
cum laude gubernat. Poloni
verò prętér cæteras gentes, an
tiquam, & per manus traditã à
maioribus poſteritati nobilita
tem, diuini alicuius numinis in
ſtar colunt. Propterea quòd
apud illos non nudis tantum-
modò auorum imaginibus, fa
cultatumq; præſidijs; ſed etiã
legibus ipſis cum libertate con
iunctis, viri nobiles ab ignobi
li plebis fæce diſtinguãtur. No
bilitas quidem vniuerſa, regũ
prin

principumq́; auctoritate est in troducta. Illi enim plærosq́; viros fortes, propter res pro patria præclarè gestas, singularibus nobilitatis affecerunt ornamentis: magnum quidpiam, & augustum ducentes, & mutare obscuram popularium cõditionem, & ad excelsam principis dignitatem propius accedere. Quare cum quis ab rege creabatur eques, non insignia modo nactæ nobilitatis (quæ vulgò gentilitia arma appellantur) accipiebat: sed & totius nobilitatis Polonę legibus, atq́; immunitatibus donabatur. Signa quidem omnium familia-
rum

rum nobiliũ: (ne quis priuata auctoritate suis subnixus opibus, in ordinẽ irreperet equestrem) in archiuio regni seruãtur: priuilegia verò ferè vniuersa, visuntur in publicis totius regni sanctionibus. Magna sanè extãt, Polonorũ equitum erga natiuos reges merita, summa & incredibilia virtutis testimonia. Si enim inuestigare velimus, per quos fuerit olim Respub. Polona fundata, eiusq́; imperium latissimè propagatum: intelligemus nihil apud Polonos post hominum memoriam posse inueniri, ad tuendam regiam dignitatem
oppor

opportunum, in quo non ſeſe vniuerſæ nobilitatis ſtudium, omni ex parte effuderit. Et vt multa paucis complectar, quid quid Polonicæ ditionis, à Ponto Euxino ad Oceanum Germanicum vsq; cenſetur; vera Polonæ nobilitatis virtute, maximisq; priuatarum opum ſumptibus, regibus Polonis cõparatum eſt. Quamobrem tanta viciſsim profecta ſunt ab illis, in omnem equeſtrium hominum ordinem beneficia; vt verè illud poſsit affirmari, (procul abſit dicto inuidia) nullam eſſe in toto terrarum orbe nobilitatem, quę cum hac & ſum

ma viuẽdi libertate, & illuſtribus certare priuilegijs queat. Quid enim primum commemorem, maximam illam, ſumma regum indulgentia, & diuturna conſuetudine, introductam totius nobilitatis auctoritatem; qua illi eſt in ſubiectam plebem, vitæ necisq; cõceſſum ius: popularibus autem iurisdictioni equitum adſcriptis, appellãdi regem erepta facultas. Qua quidẽ equeſtris ordinis potentia, nihil maius, aut magnificentius excogitari poteſt. Auguſtior tamen eorum cenſetur poteſtas; qui non oppidanis tantùm, & agricolis: ſed

etiam nobilibus viris, pari libertate in ditionibus suis ius dicunt. Et in Polonia quidē Cracouiensis, in Masouia Plocen̄, in Prussia Varmiensis, episcopi; Præpositus item Ecclesiæ Plocensis; id sibi iuris vendicant. Etsi antem difficile sit, ingenio, copia, facultate, singulas omnium regum leges, decreta, Senatusconsulta omnia, animo complecti: silere tamen non possum singularia Polonę nobilitatis priuilegia: ex quibus veluti fontibus quibusdā reliqua libertatis equestris capita profluxerunt. Ordiar igitur ab eo potissimū Ludouico

maximo Vngarorum, & Polonorum Rege; qui à Polonis propter admirabilem regię virtutis opinionem, & rerum gestarum gloriam, ad amplissimi regni gubernacula adscitus: regium diadema suscepit. Anno millesimo tercentesimo septuagesimo primo. Is vt sibi Polonos obstringeret beneficijs: multis magnis & illustribus nobilitatem Polonam donauit immunitatibus. Ac primùm quidem vectigalia regia, Equitibus Polonis omnibus, eorumq; subiectis hominibus iure sempiterno remisit. Pensionem regiam quæ vulgò ra-

1371

ſtralis dicitur, agricolis nobilium virorum, ita diminutam reddidit; vt iam illius nomine non niſi ſeni in ſingula iugera ſolidi, pendantur. Quod cum leuiſsimum ſit tributum, agno ſcendæ modò regiæ Maieſtatis gratia numeratur. Tulit etiam legem in gratiam Polonæ nobilitatis; ne magiſtratus & præfecturæ omnes extraneis, immò ne quidem incolis, ab illuſtri Ducum genere ortis, in Polonia mandarétur. Annus quo hæc Caſſouiæ in Vngaria Polonis Equitibus donata ſunt; mil
1374 leſimus tercenteſimus ſeptuageſimus quartus, poſt Chriſtũ

natũ fuit. Quid verò quæſo eſt, quod ad amplificandam equeſtris ordinis libertatem magis pertineat? quã quod illi Vuladislai primi ex familia Iagellonum regis, priuilegijs partum; ad hanc vſq; diem firmiſsimũ manet. Quid inquã hoc rege Equites Poloni adepti nõ ſunt? & ad illuſtrandam eorum dignitatem magnificum; & ad augendam rem familiarem peropportunum. Huius itaq; memorabiles illæ extant, latæ in Polonia apud Iedlinam pagũ, Anno milleſimo tercenteſimo 1330
triceſimo, ex cõmuni totius regni conſenſu ſanctiones. Arces

& præfecturæ omnes; non extraneis, neq; Polonis ex Ducibus ortis; sed nobilibus tantũ viris cõmittantur. Singuli Equites priuatis sumptibus regni fines tueantur: quod si extra fines militare iubeantur, quinos aureos nũmos, in equum stipẽdium accipiant. Capti intra regni limites regio ære rediman-tur; extra fines verò non redimantur modò; verumetiam incommoda vniuersa, quæ ex hoc accepissent, illis sarciãtur. Qui hostes ab Equitibus capti fuerint, eorum sint serui. Nobilibus subiecti agricolæ ab omnibus regijs vectigalibus im-

munes sunto. Rastrale tributũ, ab illis qui ampliores colunt agros, persoluatur. Equitem Polonum possidentem agros, ne liceat indicta causa in carcerem detrudere, aut supplicio afficere; furibus, prædonicam exercentibus, ædium incendiarijs, interfectoribus voluntarijs, virginibus, & matronis vim inferentibus, exceptis. Bona Equitis, ne Rex absq; iudicij auctoritate publicare queat. Cum de cõtrouersijs quibusq;, causa in iudicio nõ decisa, viri nobiles inter se conuenerint: vt ne ab illis mulctæ iudiciariæ regio nomine exigãtur. Sanxit

etiam, vt ne quam Rex, nisi ex amplissimi consilij sententia, monetam in Polonia cuderet. Sunt & cæterorum regum planè regia, erga vniuersam nobilitatem, regię gratiæ monimenta. Sed ea nos breuitatis causa omittẽda putamus. Ex his sanè, & alijs quoq; regum nobilitati datis priuilegijs, consecutum est; vt in Polonia, viro nobili splendidius & honorificentius nihil sit. Plebs vniuersa summo Equestrem ordinem prosequitur honore. Equites autem cũ incredibiliter liberalitatis atq; munificentiæ excellant laudibus: numerosam alere familiam

liam, incolas pariter ac extraneos domi habere lautissimè, & nõ sine muneribus quãdoq; dimittere solent. Multi sunt illis in vniuersum, in oppidis, & pagis hæreditarijs, in quibus agunt; armentorum, & nobilium equorum greges, venatio piscatioq; frequens. Opulentiores, certum virorum, & militarium equorum numerũ, ad subitarios belli casus sustenstant. Hæ sunt autem plurimarum illustrium, ac nobilium familiarium vires, eaq; potentia: vt cum regnante Ludouico rege; Anno millesimo ter- 1377
centesimo septuagesimo septi-

mo, in expeditione contra Rō
xolanos ſuſcepta, inter Polo-
nos & Vngaros iurgiū ortum
eſſet: & res ad arma ſpectare
videretur; ſola Topororū do-
mum. (ex qua nunc Comites
Tencinij maximè florent) ſe-
ptem habuiſſe vexilla memo-
riæ proditum ſit. Albertus La-
ſchius, Palatinus Siradiēſis, nō
bilis Polonus, vir nobilitate
ſanguinis, bellica laude, & re
rum geſtarum gloria clariſsi-
mus; iuſtum ex Polonis, Hun
garis, Germanis, Italis, Hiſpa
nis, Galliſq́;, ſuis fretus opibus
conſcripſit exercitum: Anno
1561 milleſimo quingenteſimo ſe-
xageſimo

xageſimo primo: Iacobū He-
raclidem Cyprium, cæſis Va-
lachorum copijs, pulſoq́; gen
tis Duce Alexandro, non mo-
dò introduxit in Moldauiam;
ſed etiam vniuerſam illam na-
tionē in eius verba iurare coe-
git. Sed cum ille poſtmòdum
non magno interiecto tempo-
re, promiſsis quibus ſe Laſchio
obſtrinxerat, non ſtetiſſet; &
homo externus, gentem alias
natura feram, nulliusq́; fidei tra
ctaret durius: iuſto dei iudicio,
eorum arma in ſe conuertit, &
in partes īnumeras dilaniatus,
mortem ſubijt turpiſsimam.
Quòd ſi qui quærat, quæ ſint
apud

apud Polonos in tanta nobiliũ multitudine, primariæ & illustres gentes? huic ego ita respõdendum puto, illas in Polonia dici clarissimas familias; quæ continuata ferè seriè, perpetuòq; temporum cõtextu, illustribus regni magistratibus, ac honoribus, perfunctę sunt. Eas ego nec possum, & si possem percensere nollem. Si .n. quispiam in ipso scribendi cursu præteritur, nefas: sin verò ordinis inuertitur ratio, odij, & obtrectationis plenũ est. Hoc caput est, innumeras esse nobiles in Polonia familias; quæ & primum nobilitatis domiciliũ tenent

tenent, & magnitudine opum cum Italicis Neapolitanis Ducibus, & Germanicis tenuioribus, certant. Vniuersi nihilo minus Equites Poloni, pari nobilitatis iure, & vnius libertatis legibus exęquantur.

DE POLONICA *Plebe.*

CAP. X.

VNiuersa Polona plebs, ex oppidanis constat, & agricolis. Oppidani vrbes & oppida, agricolæ rura colunt. Sed sunt qui regię, sunt item qui Antistitum, Procerũ, Cleri, & Equestrium hominũ iurisdi-

iuriſdictioni parent. Oppidani quidem, quos etiam ciuitatum incolas appellare libet; non præfectos modò qui illis dominorũ nomine ius dicunt: ſed etiam peculiares habẽt magiſtratus: qui Proconſules, Cõſules, & Scabini, vulgò appellãtur. Nemo ferè ex his inuenitur, qui vel quęſtui nõ ſeruiat, vel ignobilia nõ exerceat opificia. Quare alij mercatores, opifices item alij cenſentur. Habitu cultuq; corporis, plebei ab vniuerſa nobilitate diſtinguuntur; huic debitum vbiq; honorem deferunt. Cultiſsimis ſunt præditi moribus, & diuitijs ac

preciosa ſuppelectili, in frequẽtioribus regni vrbibus magnoperè abundant. Vitã quoq; lautam, propter ſummam annonæ vilitatem, & rerum ad victum pertinentium copiã, plærunq; agunt Solebant olim oppidani in Polonia regij, magno facultatum diſpendio ad ſupremum Magdeburgenſis in Germania ciuitatis tribunal, prouocare. Sed eam Polonici nominis indignitatem, primus omnium Caſimirus magnus Rex, ſummo in arce vrbis Cracouienſis Saxonico iudicio conſtituto, optimo conſilio deleuit. A quo tamen ad regẽ pro-

uocare licet. Verùm quæ plebs regiam agnoſcit iuriſdictioné; amplioribus libertatis priuilegijs, quam quæ proceribus nobilitatiq; ſeruit, munita eſt. Cú enim præfectus aliquem regius contra ius violauit, regis appellandi facultas eſt; ſed cæteri Principibus, Equitibusq;, ſubiecti homines, extremam, & iniquam quandoq; dominorum ſententiam amplecti cogũtur. Ad hanc tantam tamq; duram, introductam antiquitùs, miſeræ plebis ſeruitutem, ſi quando Tyrannicum accedit imperium: cum incredibili laborũ, onerum, mulctarumq; ponde-

re

re coniunctum eſt. Nulli etiam inuito fundi patrono, ex agro diſcedere permittitur. Quod ſi interdum abeundi impetratua poteſtas: precium ſeruorũ in morem perſoluitur. Verùm quòd magis, & planè impium eſt; licet domino ſubiectum ſibi hominem, non facultatibus tantum exuerè omnibus: ſed etiam contra omnia diuina, & humana iura impunè afficere ſupplicio. Quod qui faciunt, & potentia abutuntur, ad miſerorum hominum calamitatem; remq; ſuam familiarem, plebi grauiſsimas iniurias inferendo, amplificant: non homi

nes

nes, ſed belluæ, non iuſti patroni, ſed crudeliſsimi Tyranni cenſendi ſunt. Omnibus prætereâ popularibus, & ignobilibus viris, & Reipubl. tenere clauum, & nobilia obire munera, & illuſtria habere ſacerdotia vetatur. Primariæ tamen vrbes, ad communia Reipub. Comitia legatos mittunt, quibus etiam de grauioribus negotijs, vna cum cæteris totius regni ordinibus aſſentiri permittitur.

DE COMITIIS *Polonicis.*

CAP. XI.

QVibus ſuperiora Poloniæ noſtræ capita perſpecta ſunt; illis non erit etiam conijcere difficile; Regem apud Polonos gentem liberam, non ſuis priuatis, ſed publicis patrum, & nobilitatis cõſilijs, totius regni ſumma gerere gubernacula: & vniuerſam omnium magnarum rerũ molem ſuſtinere. Quoniam verò omnes ferè Senatoria, & equeſtri dignitate, illuſtres viri per ſingulas ampliſsimi regni diffuſi regiones, vicos & caſtel

la, ſparsìm habitant hæreditaria; decretum eſt, vt cum poſtularent grauiora Reipub. negotia, conuocandi Senatus, & adſciſcendæ ad conſilium nobilitatis, penes regem poteſtas eſſet. Quod quidem conſultandi inſtitutum, vt olim non valdè diſsimili ratione apud Romanos, ita nūc apud Polonos quoq; Comitiorum obtinuit appellationem. Videtur autem regia Polona Reſpubl. inſtar alicuius magnæ vrbis, quæ nō contigua, ſed ſparſa per agros habeat ædificia, à maioribus noſtris inſtituta eſſe. Equites enim Poloni, huius max imæ

Reipub. ciues, in omnibus regni Sarmatici regionibus, ædes colunt paternas, magnis locorum ſpatijs inter ſe diuiſas: ſed non ſecùs tanquam vnius ciuitatis eſſent habitatores, vnam viuendi conſuetudinem, eaſdē leges, & de communi ſalute deliberationes habere cōſueuerunt. Ita tunc cum publica vniuerſę Reipub. celebrantur Comitia; iſtius tam vaſtæ ciuitatis incolæ, & magiſtratus omnes, in vnum aliquem locum, veluti forum quoddam conueniunt. Quomodo autē ſoleat Rex, Senatui & equitibus Polonis, indicere Comitia, aperien

dum est. Etsi enim summa sit penes illum promulgandorũ Comitiorum auctoritas: nihil tamen etiã inconsulto Senatu, de re tãti mométi statuit. Qua propter communicato primũ per litteras, cũ primoribus regni consiliarijs negotio, epistolæ regiæ vulgò Comitiales appellatæ, Senatoribus, & nobilitatis officiarijs omnibus, mandantur; quibus & de præscripta Comitijs vrbe, ac die, & de particularibus, in singulis regni prouincijs agendis conuenticulis, significatur. Mox ad cóstitutam in omnibus regionibus diem, totius nobilitatis cócilia

ciliæ habentur: legati ex omni equestrium hominum ordine allegandi ad Comitia, cum potestate deliguntur: Rex ad singulas Palatinorum prouincias, oratores mittit; qui & consultationum Comitialium habendarum summam, & promulgatorum causam Comitiorum, vniuersæ nobilitati regio, nomine exponũt. Quibus per fectis, itur ab Senatoribus, & prouincialibus nobilium legatis, ad constitutam Comitijs vrbem. Coacto celebri antistitũ, procerũ, & equestriũ nunctiorũ consilio, prima celebrandis Dei Opt. Max. sacris, dies con

ceditur, postera frequens in curiam conuenit Senatus: in amplissimo Rex ab omnibus prouinciarum legatis Senatu, salutatur: vniuersa deliberationis Comitialis capita iubente rege recitantur; tunc demum Senatorum audiuntur iudicia; postremò Rex suá omnibus aperire sententiam solet. Vniuersa Comitia in duo scinduntur cõsilia, alterum Senatus, cui Rex ipse præsidet: legatorum prouincialium cætus alterum appellatur. Sed quemadmodum Senatores, ita & illi disceptandi de Republica vna cum rege ius habent. Quare vtriq; consi

lio, siue ordini, deliberationes proponuntur: vtriq; de Republica ferunt suffragia; & quemadmodum Senatorum, ita etiã oratorum equestrium necessarius in omnibus assensus requiritur. Dignitas quidem Senatoria antiquissima est; legati verò prouinciarum nouo quodam, & inusitato ante Reipub. instituto: regnante Casimiro eius nominis tertio rege, circiter Millesimum quadringentesimum sexagesimum octauum 1468
annum initium sumpserunt. Cum enim Rex apud Visliciã oppidum, minoris Polonię cõuentum ageret; vt militibus

exolueret Prutenicis stipen-
dia, vectigal ab omnibus eius
regionis ordinibus petebat. Il
li nihil se de re tanti momenti,
sine maioris Poloniæ assensu,
statuere posse affirmabāt. Qua
re placuit tūc primùm, & regi,
& Senatui, binos ex omni nobi
litate oratores, singularum no
mine prouinciarum ad Comi-
tia Petricouiēsia mitti; quibus
imperandi vna cum rege, &
vniuerso Senatu moderati tri-
buti potestas esset. Creuit eorū
cum tēpore auctoritas. Nunc
enim, non de vectigalibus tan-
tum, sed etiam de omnibus to-
tius regni negotijs, disceptare
solent

solent: nullaq; legittima sine
illis Comitia habentur. Eos
vniuersa Polona Respublica,
communis libertatis custodes,
apud regem esse voluit. Et cū
olim regis, & Senatorum, alter
nis vicibus, tibiæ essent; iam &
Regem, & Senatum sui mune-
ris admonere; & vtriusq; mo-
res grandi supercilio notare cō
sueuerunt. Eos ego illorumq;
laudarem potestatem, ni sibi
quandoq; (quòd ab eorum of
ficio alienissimum est) de reli-
gionis quoq; christianæ doctri
na, ritibus, ac cerimonijs, disse
rendi prouinciam temerè arro
garent. Cōstat igitur Polonica
Co

Comitia vniuersa, ex Rege, Senatoribus, & prouincialibus equestrium hominum legatis conflata esse. In quibus cum de summa rerum potissimum agatur, publicæ de amplissimi cõsilij sententia leges eduntur; communia totius regni ab rege exercentur iudicia; noui ex arbitrio regio creantur magistratus: bellum si quòd faciendum est constantissimo omnium ordinum consensu decernitur; sed & externorum quoq; regum de rebus magnis audiũtur legationes, fœderaq; & induciæ stabiliuntur. Imperantur etiãm nonnunquam po

stulante rege omnibus totius regni ordinibus vectigalia. Omnia deniq;, quæ ad constituendam, & formandam Rem publ. Polonam pertinent, in Comitijs regni diligentissimè curantur.

DE RATIONE MILITANDI *apud Polonos, & præcipuis Polonorum expeditionibus.*

CAP. XII.

OMNES optimæ apud singulas terrarum orbis gẽtes Respublicę, tunc ab omnibus maximè iudicãtur fælices, ac beatæ; cũ &

ſapientiſsimis in pace grauiſsimorum hominum conſilijs, & firmiſsimis in bello militariũ virorum præſidijs, nituntur. Quod quidem non ineptè, in hac de qua nobis eſt negotiũ, Polonam Rempub. cadere videtur. Quæ cum prudentiſsimum toto terrarum orbe habeat Senatũ, cuius Rex ipſe caput cenſetur; fortiſsimis quoq; equeſtrium hominum copijs, ab omnibus quibus vndiq; cincta eſt barbaris nationibus, tutiſsimam ſe eſſe arbitratur. Deſcripta enim vniuerſa imperij Polonici ditione, in triginta ferè prouincias, quas Palatina

tus

tus vulgò vocant; ita iam indè à primis naſcentis regni exordijs conſtitutum eſt, vt cum in ſingulis regionibus equitibus Polonis, regio nomine ſignũ belli datum eſſet; mox Palatinorum qui illis præſunt militaria vexilla ſequerentur. Palatini autem omnes collectis in vniuerſis prouincijs exercitibus, regi adeſſent. Solet verò Polona nobilitas, ad arma euocari hoc modò. Cum vel ad inferendum, vel reprimendum fortè bellum, ſumma omnium totius regni ordinum volũtate, proficiſci rex decreuit; innumeras ferè omnibus Capi

taneis

taneis, & gubernatoribus epi ſtolas per celeres tabellarios trāſmittit. Hæ apud omnes vſitato antiquitus vocabulo litteræ reſtium appellātur. Præfecti eas viciſsim cæteris regionum officiarijs, & nobilibus vniuerſis, vt proximus quiſq; eſt mittunt; illi ad alios ſine mora transferendas curant; ita vt nemo in tota Polonia eques inueniatur, cui tandem illę redditę non fuerint. Summa epiſtolarum hæc eſt; vt ſinguli Poloni nobiles, regijs lectis litteris armis, equis, & rebus ad continuandam diuturnam militiam benè

benè inſtructi neceſſarijs, Palatinos copiarum Duces, ſequantur; illi deinceps vna cū Caſtellanis, cæteriſq; militiæ præfectis, quorū in omnibus prouincijs habetur copia, regijs ſeſe omnes vexillis cōiungant. Conſueuit autem nonnunquā ſingulis, quādoq; binis, interdum etiam ternis eiuſmodi litteris, bellum in Polonia denunctiari. Scilicet oportunitatis, locorum, temporis, & hoſtium ratione conſiderata. Grauiſsima eſt quidem in earum contemptores epiſtolarum conſtituta pæna. His itaq; voluntariæ nobilitatis fretus copijs, (quæ ſi ex

ex vniuersa maximi atq; opulenti regni ditione, in vnum locum conueniant; centum quinquaginta millium equitum numerum conficiunt) Rex apud Polonos bellum gerit. Quòd si tam numeroso auctus equitatu, in alienas regiones proficisci statuerit; singulis nobilibus uiris, quinos aureos nummos in hastam stipendium soluere cogitur. Multi autē sunt apud Sarmatas optimorum militum præstantissimi ordines. Exercitus quidem ferè omnes, ex equitibus & peditum legionibus constare solent. Equites alij splendentibus protecti ar-

mis; equos ad statariam pugnā idoneos habentes, quorū anteriora ferreis laminis tegunt, cataphracti appellātur. Hi primū hastis, deinde duobus gladijs, altero oblongo, & quadrato, quo punctim; altero autem incuruo, & breui quo cesim feriunt; committere præliū cōsueuerunt. Pixidibus etiam breuibus Germanico, & ferreis clauis Vngarico more, cum opus est rem gerunt. Clypeis quoq; corpora tegunt. Alterum leuis armaturæ equitum genus, vsitato apud Polonos, & Vngaros, nomine Vsaronū nuncupatur. Isti loricati galea

tiq; ferè omnes, vèlitares hastas, & clypeos Turcarum instituto deferũt. Curuatis ensibus vtuntur. Quidam arcubus Scytharum more, nonnulli etiam breuibus sclopettis hostem petunt. Postremũ equestris militię genus, Cosachorũ vulgò appellatum, frigoris, inediæ, laborisq; patientissimum est. Cosaci ad instar ferè Tartarorum leuissimè omnium armantur. Equos pernicissimos habent, & exercendis minutis prælijs aptissimos. Ephippia equorũ in eum vsum accomodata; vt se in omnes partes nullo negotio vertere, arcumq; stringere

queant. Arcubus potissimum pugnam ineunt, & frequentissimo sagittarum imbre viros, & equos simul conficiunt. Acinacibus Scythicis accingũtur. Hastas quoq; breues habent. Magna isti cum inimicas aggrediuntur regiones, ferro, & flamma omnia miscentes, itinera faciunt. In celeritate, & salus exercitus, & vincendi tota spes collocatur. Deferunt secum in vastis Podoliæ solitudinibus, in quibus cum Tauricanis Tartaris continenter bellum gerunt; in sacculis quibusdam panem, carnem suillam salsam, sal mixtum pipere. Prę

tereà vnuſquisq; habet ſecu-
rim, fomitem; vt ſi quando fe-
ram, quarum in illis deſtitutis
habitatoribus campis ingens
eſt copia, conficere contigerit,
tum ignem excutiant, & con-
ditam ſale, pipereq;, prædã co
quant. Solent etiam Poloni pe
ditum legiones, in quibus pars
ſclopetarij, pars etiam ſunt ha
ſtati conſcribere; & ad longin
quum bellum ſecum ducere.
Quibus validus, & numeroſus
omnis generis tormentorum
apparatus, commendatur. Eo
rum etiã opera vniuerſo exer-
citui itinera ſternuntur, ex-
truuntur pontes, atq; ipſæ de-
niq;

niq; vrbes, & arces oppugnan
tur. Neq; in acie inutilis pror-
ſus eorũ virtus iudicatur. Equi
tatui tamen vniuerſi Sarmatæ
maximè confidunt; peditatus
nõ tantoperè vt apud Italos, &
Hiſpanos æſtimatur. Verũ vbi
totius exercitus vires, in vnum
locum conuenerunt, perpetuo
carrorum munimento caſtra
vallantur; portis aliquot ad in
ſtar alicuius Ciuitatis adaper-
tis: in quibus ænearum machi
narum magna vis, collocatur.
Sarmatæ enim ingentem qua-
drigarum numerũ, quibus ho-
mini iumentoq; victus fertur,
ad longinquum bellum ſecum
L iij duce

ducere: & in multos dies propter longitudinem itineris, & locorum ſterilitatem, cómeatũ prouidere conſueuerunt. His itaq́; perpetua ſerie, cathenatis, tanquam firmiſsimis quibuſdam propugnaculis caſtra muniuntur. Hæc eſt apud Polonos belli gerendi ratio. Magnam quoq́; conſecuti ſunt bellicæ laudis exiſtimationẽ; plurimis, & difficillimis expeditionibus. Boemos enim Boleslao primo eius nominis optimo, & fortiſsimo rege, duce; capta eorum metropoli Praga, cæteriſq́; vrbibus ad deditionẽ compulſis, imperio ſuo parere

coegerũt: pulſoq́; gentis principe Boleslao, Vldericum alterũ ipſius filium, iure beneficiario præeſſe vniuerſæ prouinciæ, iuſſerunt. Anno Chriſti milleſimo tertio. Roxolani etiam 1003
gens fera, & bellicoſa, eiuſdem regis auſpicijs, apud Axiacen fluuium memorabili prælio ſuperati; biſq́; iterum bellum renouantes fuſi. Chiouia, Roxolaniæ regia, celeberrima olim vrbs, cuius amplitudinem, ſplẽdorem, & elegantiam propè incredibilem, ingentes adhuc ruinæ teſtantur; admirabili Polonorum virtute contertita, in poteſtatem regis Poloni con-

cesſit. Eius victoriæ vt perpetua extaret apud poſteros memoria, tres ferreas columnas, Boleslaus Rex in Boryſtene flu
1008 uio collocauit. Anno milleſimo octauo. Memorabilis eſt, & illa fortiſsimi regis expeditio; qua ſuſcepto aduerſus Saxones bello, omnem illam regionem ad Albim, & Salam fluuios, & Cherſoneſum Cimbricam, quę hodie Dania vocatur, incredibili celeritate ſub imperium ſuum ſubiunctam, poteſtatis ſuæ fecit. Vrbes illius prouincię maximas, ſolo æquauit; gentem vniuerſam ad accipiendā Chriſti doctrinam cōpulit

pulit

pulit Poſtremò fixis memoriæ cauſa, in Salæ ripa tribus ferreis columnis, victor cùm victoribus Polonis in Sarmatiam redijt, Anno milleſimo duodecimo. 1012
Neq; minori virtute aut fœlicitate, ferociſsima, & christiano nomini inimiciſsima Pruſſorum gens, quæ aliquot ante annis D. Adalbertum Archiepiſcopū Gneſnenſem trucidauerat; Polonorum armis ſubacta. Eius .n. vlturus necem Boleslans Rex, cum omnem illam regionem, vna cum maximi roboris exercitibus, hoſtilē in modum peruagatus eſſet; ad extremū ſupplicibus Pruſsis, &

&

& tributa ſoluere promittentibus pacem dedit. Neq; aliam pœnam victor impoſuit victis; quam vt repudiato falſorum Deorum cultu, & abiecta ſuperſtitione, Chriſto Deo initiarentur. Huius victoriæ monimentum, bellator inclytus ferream columnam in Oſſa flumi
1012 ne locauit, Anno paulò poſt milleſimum duodecimum. Boleslai ſecundi Regis, ſingularé eximiamq; virtuté tacitus prætcrire non poſſum; qui poſt ſu
1058 ſceptum regnum, Anno milleſimo quinquageſimo octauo, non multò interiecto tempore eoſdem Pruſſos Polonorum vectiga-

vectigales, iugum Polonicum excutere conantes, non longè ab Oſſa fluuio, inſigni prælio deuicit, agros hoſtiū cadaueribus ſtrauit, fluuios eorum ſanguine infecit; deuictos in fidé, & clientelam Polonorum recepit. Poſt cõfectum Pruſsicum bellum, fortiſsimus Rex, Andream Vngarorum regem, ad Tybiſcum ſiue Cyſſam amnem (qui è Sarmaticis montibus, qui Hungariam à Polonia diuidũt, ortus; in Danubiũ effunditur) cum maximis Germanorum, & Boemorum auxiliaribus copijs, ad internecionem profligauit; Belam Vngariæ

gariæ Ducem, Andræe regis fra
trem, cuius causa illud bellum
susceperat: in paterno, & auito
Hungarorum regum solio li-
beraliter collocauit. Sed & Ro
xolanos, Sarmatiæ populos, cũ
antea quoq; sola nominis, &
exercitus sui fama fugere coe-
gisset; Chiouiamq; eorum me-
tropolitanam vrbem receptã,
Iaroslao gentis Duci reddidis-
1074 set, Anno demum millesimo
septuagesimoquarto, cum va-
lidissimis, & numerosissimis
eorum turmis deleuit. Chiouiã
maximam, & frequentissimã
totius Sarmatiæ vrbem, quæ ab
illius fide etiamnum discesse-
rat

rat, diuturna obsidione ad de-
ditionem compulit. Ingrediẽs
autem cum victore exercitu, in
portam vrbis ferream gladium
vibrauit: quod proauum item
suum fecisse acceperat. Atq; ex
eo tempore Roxolania amplis
sima, & feracissima Europæ
regio, Polonorum vectigalis fa
cta. Quod si mihi Boleslai eius
nominis tertij Polonorũ mo-
narchæ, æternis dignissima lau
dibus bella, in vnum angusti
operis volumen concludenda
essent; incredibilem apud om-
nes nationes admirationem ex
citarent sui. Sed nunc breuior
esse cogor. Dicam tamen, id
quod

quod ab optimis auctoribus memorię proditum est: singulari, & propè incredibili huius principis virtute, Henricum quintum Romanorum imperatorem, apud Vratislauiam Silesiæ metropolim, acie fusum, castris etiam exutũ esse. Cum enim Henricus Cæsar, vano, & insolenti animo, Poloniam sub imperium suum subiungere meditaretur; iamq; aliquot Polonicæ ditionis munitiones occupasset: Boleslaus cum prius prędtolando auxiliares suorum copias, vniuersam prælij fortunam detrectasset; ad extremum cum ab imperatore iniu

stas

stas sibi, & Polono nomini indecoras pacis conditiones, pręscribi animaduerteret; collatis signis, cum potentissimò Cæsaris exercitu conflixit, & victoriam longè memorabilem deletis hostium copijs, ipsoq; Cæsare in fugam acto reportauit, Anno Christi millesimo 1109
cẽtesimo nono. Locus vbi pugnatum est, Caninus campus ad hodiernã vsq; diem ab incolis appellatur. Germani enim insepulti, canibus cibum præbuerunt. Cum autem ingens ad eum locum canum numerus, ex circumuicina regione, ad deuoranda cæsorum cadauera

uera

uera confluxisset; difficilem viam pauco hominum comitatui faciebat. Quapropter planicies illa, quæ quinq; millium passuũ ĩteruallo, ab vrbe distat Vratislauia; ab Germanis, & Polonis, caninus cãpus nuncupatur. Nihil nũc dico quomodo Dania, siue Dacia quæ etiã Cimbrica Chersonesus, dicit; fortissimi principis auspicijs, atq; ipsis victricibus Polonorum armis, sit perdomita. Verũ vt omnia planius percipiãtur, exordium susceptæ expeditionis, repetendum esse nobis paulò longius videtur, Erat apud Boleslaum Petrus quidam Comes,

mes, illustri apud Danos ortus familia, cuius pater Guilhelmus, summis erat apud Henricum Danorum regem præpositus regni gubernaculis. Fortè autẽ accidit, vt Henricus Rex scelestissimis fratris Abeli manibus trucidaretur. Scribit Guilhelmus ad Petrum filium, in Poloniam, vt cum aliquanta militum manu quamprimùm accurrat; Gazam regiam quã tunc in potestate habebat auferat; ne ab immanissimo parricida raperetur. Petrus quod per se ipse præstare non poterat, non difficultèr Boleslao persuasit; vt is propagandæ Po-

 loni-

lonici nominis gloriæ causa, eam expeditionem susciperet. Classe itaq; apud Danticum maritimam Prussiæ vrbem, cõparata; Boleslaus secunda vsus tempestate, in Daniam delatus est. Expositoq; in terram exercitu, cum prius etiam Danorũ procerum voluntates sibi conciliasset; vniuersam Datiam in suam redegit potestatem: interfectore Henrici regis in turpissimam fugam acto. Et vt singulare victoriosissimi monarchę, apud exteras gentes clementiæ extaret monumentum: totam Daniam quam in manibus habebat, sua sponsa Danorũ genti red-

ti reddidit; regisq; creandi illi potestatem fecit. Atq; ita rebus omnibus ex animi sententia confectis, ingentiq; thesauro secum ablato, victor in Poloniam reuertit, Anno Christi vicesimo quarto supra millesimum centesimũ. Verùm, ut cęteros taceam fortissimi Ducis triumphos, (neq; enim me Polonorum res gestas, sed potius Poloniæ imaginem quandam scribere profiteor) vnus omnium qui apud Polonos regnarũt, quadragies septies acie victor Boleslaus, totidẽ quoq; vicibus, de omnibus ferè Polonici nominis hostibus trium-

1124

 pha-

phauit. Sic vt antiquis Ducibus, Alexādro Asiæ domitori, C. Iulio Cæsari, Pompeio, Annibali, rerum gestarum gloria, nō modò exęquandus; verum etiam anteferendus esse videatur. Neq; mihi hoc loco singularem, omniumq; sæculorum prædicatione dignissimam, Vuladislai Loctici regis virtutem, prætereundam existimo: qui maximas easq; virtute bellica præstātes Marianorum militum Prussiensium copias, impari suorum manu, apud Blerum maioris Poloniæ pagum
1331 deleuit, Anno millesimo tercentesimo tricesimo primo.

Fuerunt exinde res gestæ, Vuladislai primi ex familia Iagelloniorum regis, illustres; qui & pietate, & virtute bellica insignis, præclaram ab se maximæ victoriæ memoriam reliquit. Germanos enim, Teutonicæ militiæ religionem professos, ingenti pugna victos, cæso in acie Vlrico magno religionis magistro, apud Grunenaldum Prussiæ oppidū, ad internecionē profligauit: quo in prælio quinquaginta hostiū millia trucidata esse, capta itē quadraginta millia, memorię proditū est.
Annus quo hæc acta sunt mil- 1410
lesimus quadringentesimus de

cimus, post partum Virginis fuit. Ex ea victoria Prussia ferè vniuersa, Prutenicæ militiæ equitibus erepta; in potestaté regis Poloni concessit. Quid ego hic singularem, & propè diuinam Vuladislai secundi ex Iagelonum gente, Vngariæ, & Poloniȩ regis, virtutem commemorem? qui in ipso iuueni lis ætatis flore Polonorũ creatus Rex, ab Hungaris etiam ad regnum adscitus, plurimis, & difficillimis cũ Turcis prȩliis, immortalẽ sui nominis famã, posteritati consècrauit. Atq; in primis (vt reliqua quæ per Du ces gessit præteream) in mon-

tis Hemi vallibus, cum Amurathis secundi Turcarum regis Duce Carambeio, summa virtute, maximaq; Polonorum militum laude conflixit; cæsoq; Turcarum exercitu, atq; ipso Carambeio capto, de hostibus christiani nominis accerrimis, amplissima trophæa Christo Deo dicauit. Hoc in conflictu pedites Poloni, cominus cum Turcis pugnantes, equorumq; hostilium inguina breuibus quibusdam contis suffodientes, equitibusq; ipsis crura prȩcidentes, bonam suo regi operam nauarunt. Anno Chri 1443
sti millesimo quadringentesi-

mo quadragesimo tertio. Fecit posthæc anno proximè subsequuto pacem cum Amurathe Vuladislaus, & quidem grauibus Turcarum genti conditionibus. Dimissus etiam Carambeius, precio quinquaginta millium Ducatorum redemptus. Verùm ea pax diuturna non fuit, cum eam Vuladislaus in gratiam Ioannis Palęologi, imperatoris Constantinopolitani, Eugenij Pontificis, Philippi Burgundiorum Ducis, & Venetorum violasset. Quamobrem pugnatū est denuo, apud Varnam ciuitatem, antiquitus Dysionopolim vo-

catam

catam, cum Amurathe Turcarum Tyranno; maximis Polonorum, & Hungarorum viribus, vbi Rex ipse Vuladislaus, fortissimè dimicans, cum vniuerso quem circa se habebat Polonæ nobilitatis robore, cecidit: Vngaris vna cum Ioanne Hunniade Mathiæ regis patre, bona ex parte fuga dilapsis. Plures tamen ex Turcis quam ex nostris eo in prælio occubuerunt. Perpetrata est hæc Christianorum strages. Anno salutis humanæ millesimo qua 1444
dringentesimo quadragesimo quarto. Fuit, & longè insignis, Casimiri eius nominis tertij re

gis

gis, in Silesiam aduersus Mathiam Vngarorum regem suscepta expeditio; non tam vlla memorabili parta victoria, propter Polonos proceres Mathię regis auro corruptos, quã ingenti copiarum mole. Quæ ex Polonis quidem sexaginta bellatorum millia, ex Boemis autem qui Vuladislaum Casimiri filium, regem suum sequebantur: viginti millium numerum constituebãt. Verum hoc bellum pactis inter reges indu cijs diremptũ est: circiter mil-
1474 lesimum quadringentesimum septuagesimum quartum, ab orbe redempto annum. Secu-

ta est

ta est exinde memorabilis Ioãnis Alberti Regis, aduersus Turcas Christianæ religionis hostes expeditio; & quidem infœliciter, cum parum abfuerit quin ab Valachis quos in societatem belli trahebat, ferè circumuentus esset. Stephanus .n. eius gentis Dux, indignè ferens se ab rege oppugnatũ, & prouinciam suam ferè vniuersam euastatam esse; cum Rex nulla re memorabili cõtra Turcas gesta, per Bucouinam syluam reuerteretur, ex insidijs regium exercitum maximo affecit incommodo; vbi plęriq; ex nobilitate Polona desiderati sunt.

ti sunt.

ti ſunt. Habebat autem tunc Rex, (annalium Polonicorum teſtimonio) in exercitu octoginta millia pugnatorum; exceptis lixis, & aurigis, qui dimidium eius numeri conficiebant: carrorum verò quibus caſtra vallãtur, triginta millia. Quod quidem eo libentius retulimus, vt ea quæ de ſumma regis Poloni potentia dicta ſunt; non ex vulgi opinione, ſed ex ipſis hyſtoriarũ monumentis confirmationem habeant. Neq; tunc ſanè totius regni Sarmatici uires in vnum locum coïuerãt. Aberat enim fortiſsimus leuis armaturæ Li-

tuanorum equitatus; deſiderabantur magni roboris Pruſſorum phalanges: Maſouij etiã paucis exceptis domi ſe continebant; Liuonienſes nondum in poteſtate regis Poloni erãt; qui ſi Ioannem Albertũ ſecuti fuiſſent, regius exercitus dubio procùl ducentorum armatorum milliũ numerũ ſuperaſſet. Annus quo Ioannes Albertus rex, cum Valachis infœliciter 1497
pugnauit. Milleſimus quadringenteſimus nonageſimus ſeptimus fuit. At Sigiſmundus primus Polonię Rex, rei militaris peritia, magnitudine animi, & fælicitate rerum geſtarum, ve-

terum imperatorum gloriam
æquauit. Basilium enim poten
tissimum Moschouitarum Du
cem, superato Borysthene, Duce
Constantino Ostrosio, apud
Orsam oppidum, cũ maximis
eius gentis copijs profligauit:
ita vt cæsorũ numerus ad qua-
draginta ferè millia, captorum
verò ad quatuor millia perue-
nerit. Accidit autem hæc Mo-
schorum clades. Anno Christi
1514 millesimo quingentesimo de-
cimo quarto. Huius victoriæ
gratia decretæ fuerunt, ab Leo
ne decimo, Pontifice optimo
maximo, in vrbe Romana sup-
plicationes: publica totius vr-
bis

bis gratulatione, veluti deui-
ctis cæsisq; Romanę Ecclesiæ
hostibus. Neq; verò hoc primũ
aut postremum pręstantissimę
suæ virtutis facinus fuit. Scy-
tas enim Roxolaniam prouin-
ciam ferro, & igne vastantes,
apud Visniouecium castellum
superauit: Valachos auxiliari-
bus Turcarum copijs instru-
ctos, Ioanne Tarnouio Duce,
ad Obertinum deleuit. Mos-
chouitas iterũ, capta atq; euer-
sa arce Starodubo, ingenti stra
ge deuicit: Prussiam mandata
ipsius detrectantem maximo
bello perdomuit. Et vt multa
paucis complectar, tot sunt hu
ius

ius regis victoriæ, quot regni Poloniæ hostes; tot item triũphi, quot ab eo barbararum gentium deleti exercitus: ita vt Sigismundi beneficio, deletis circumquaq; hostibus, tunc primum Polonia exoptatam pacem nacta sit. Postremum fuit nostra memoria illustriũ, apud Polonos expeditionum opus, Sigismundi secundi Augusti regis, susceptum aduersus Liuonienses Cruciferos bellũ. Quod quidem propter incredibilem regiarum copiarum numerum, (centum enim millia bellatorum in exercitu habere ferebatur) non Polonorũ

modò, sed etiam externorum oculos, qui eò contemplandi causa confluxerant: summa affecit admiratione. Tanta ergo regij exercitus mole, Magnus Liuonicæ militiæ magister Firstenbergus conterritus, ad regem in castra venit; supplicisq; habitu ad genua regis prouolutus, veniam deprecatus est, & se suaq;, omnia in potestatẽ regiam vltro dedit. Sed nos lõgius quam institueramus prouecti sumus; scilicet, vt exteri homines intelligerent, Polonos, & rei militaris peritia, & numero militum, & rerum gestarũ gloria omnibus omnium æta-

tum temporibus ſemper flo-
ruiſſe.

DE VBERTATE *Poloniæ.* CAP. XIII.

REgio Polonia in vniuerſum plana, & campeſtris, syluas quoq; frequentiſsimas habet; quibus nihil ad amænitatem, vel ad vſum poteſt eſſe pręclarius. Fluuij celebriores, & ad deferendos lintres idonei, Viſtula, Odera, Varta, ingentem piſcium copiam ſuppeditant. Sulmones, & Sturiones, nobile piſcium genus Viſtula præbet.

Viſuntur paſsim & crebri lacus, piſcatura illuſtres. Ex piſcinis arte hominum effoſis, in quibus aggeribus terræ quibuſdã aqua continetur; piſcium multitudinem fermè incredibilem expiſcantur. Vnde magnæ incolis opes. Aquas calidas ſanãdis corporibus humanis vtiles Polonia non habet. Syluæ venationem Ceruorũ, Aprorũ, Damarum, Vrſorum, Luporũ, Vulpium, Caſtorum, Martarum, & Leporum affatìm ſubminiſtrant. Apes in ipſis arborũ cauis, probatiſsima mella cõficiunt. Campi, tritici, ſiliginis, ordei, millij, lini, canabbi, &

omnis generis leguminum, ad mirabilem producũt copiam. Ferax eſt optimorũ fructuum; Ficus, Amigdala, Caſtaneæ nu ces, Aurea, Citria, & Punica mala, Limones, & Capparæ de ſiderantur. Porrò quidquid aucupio capitur, & quod ad menſas delicatiores expetitur, nihil eſt quod in Polonia deſi derare poſsis. Turdi, Anates, Pernices, Anſeres, Cothurni-ces, Grues, leuiſsimo precio diſtrahuntur. Capitur quoq; auis ſubnigra, puniceis ſuperci lijs, quæ incredibili pulparũ ſa pore, Phaſianorũ excedit di-gnitatem. Hęc Plinio, Erythra

tao. Polonis, Cietref vocatur. Gallinæ, Capones, non minus plebeiorum, quam nobiliũ vi-rorum epulæ cenſentur. Maio ris minoriſq; pecoris incredi-bilem copiam, in exteras regio nes Germaniam, Boemiam, & Morauiam Polonia mittit. Equorum pernicium greges, propemodũ infinitos alit. Eos regio edicto ex prouincia ab-ducere minimè licet. Reperiũ tur, plumbi, argentiq; ſimul, æris, cupri, optimiq; ferri ſectu ræ: ſed nullũ tota regione gem marum, vel precioſi lapilli ve ſtigium. Sal candidum, opti-miq; ſaporis, in profundiſsimis

terræ cauernis, ſaxorum in morem exſcinditur. Ex quò magnū regi Polono vectigal. Aurum etſi inueniri poſſet, negligentia tamen incolarum nō eruitur. Habet Polonia pręſtātiſsimi generis cæruleum colorem, quem vulgò LAzurrū vocāt, necnon Sulphuris, Aluminis, Vitrioliq́; venas. Vino oleoq́; natiuo caret, quòd ab externis populis petit. Creticū ſubdulce ex Græcia, partim terreſtri itinere per Valachiā, & Roxolaniam: partim etiā per immenſum Oceanum eductū Creta, per Gaditanas fauces ad uehitur. Vites in ſelectioribus

hortorum

hortorum agris voluptatis gratia plantantur. Cæræ, melliſq́;, quod non tam in manufactis, agreſtium aluearibus, quam in ipſis arborum cauis conficitur; ingens eſt copia. Frumentum omnis generis, aſſeres pro fabricandis nauibus, picem, cineres pretioſos, ex quibus ſelecti fiunt colores; linum, canabbum, lanas, coria animalium, maſſas ceræ ingētes; Poloni, ſecundo Viſtula flumine, Dātiſcū quotannis mittūt. Ad eam vrbē quæ ab littore maris Balthici quinq́; milliū paſſuū diſtat interuallo; vbi Viſtula magnā aquarum mollem ſecū

 tra-

trahens in Oceanũ euoluitur; ex remotiſsimis Luſitaniȩ, Galliæ, Flandriæ, Holandiæ, Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ, Suetiæ, Noruegiæ, Daniæ, Germaniæq; prouincijs mercatores commeare ſolent. Obſeruatum eſt autem, ducenta, & tercenta maiora, & minora mercatorũ nauigia, vno eodemq; tempore Dantiſcum appuliſſe. Omnes ferè exportandarum frugum gratia potiſsimum veniunt; quas Polonia cæteræq; regni Poloniæ prouinciæ, tot terrarum orbis regionibus abũdè ſuppeditãt. Viciſsim autem Poloni, ab illis gẽtibus, aromata

ta omnis generis, Sacharum, Vuas paſſas, Ficus paſſas, Aurea Citria, & Punica mala, Oliuas conditas, Limones, Capparas, Amigdala, Aniſum, Cumetũ, Coriandrũ, Haleces, Oleum Balenæ, cæteraq; eiuſmodi: pannos item precioſos, plurimam veſtem ſericam, nobilesq; telas, gemmas quoq;, & vniones, aurum deniq; ipſum ſignatum accipiunt; quæ omnia tot bona Polonis natura inuidit.

FINIS.

IOANNIS CRASSINII POLONIAE

LIB. II.

DE LITHVANIA,

moribus, Origine, & Sacris Lithuanorum ritibus.

CAP. I.

SVperiori libro ſatis vt arbitror dictum de Polonia, & vniuerſa Reipub. Polonæ adminiſtratione. Supereſt, vt quemadmodum propoſiti noſtri exigit ratio, de ſingulis Poloniæ regno contributis prouincijs, diſſeramus. Regio eſt in Sarmatia Euro-

pæa, & ſingulari vbertate agro rum, & omnium rerũ ad tuendam hominum vitam pertinentium opima, Lithuaniæ nomine appellata: Moſcouitis, Liuonienſibus, Roxolanis regijs, Prutenis, Samogitis, & Maſouijs contermina. Vaſta quidem, & campeſtris pabuliq; ferax, ſed nemoroſa; æſtate autem pluribus in locis paluſtris. Niuibus enim (quòd in regionibus frigidis vſu venit) ardore ſolis colliquatis, & reſoluta per omnes campos glacie, agri paſsim in paludes abeunt. Fluuios illuſtriores, & ferendis lintribus aptos, Chrono
nem

nem, Naruam, & Bereſinam, in quibus incredibilis eſt piſcium copia habet. Sunt & vaſtæ magnitudinis lacus, piſciũ omnis generis feraciſsimi. Triticum, Siliginem, & omne genus leguminis, vsq; ad abundãtiam Lithuania producit. Mel, Cæram, Cinerem faciendis coloribus idoneum, Picem, Aſſeres ad fabricandas naues, ipſas deniq; fruges, ſecundo flumine Narua, qui in viſtulam effunditur, Dantiſcum marittimam Pruſsiæ vrbem quotannis mittit. Vitibus Lithuani carent, neq; vllam vinearũ exercent culturam. Potus genti cõ
munis

munis vt Polonis birra, atq; ceruisia, ex tritico, vel ordeo decocta. Præstátissimus medo ex melle lupuloq; coctus, in cõuiuijs circumfertur. Nobiliores, & opulentiores, vino ab externis accepto vtuntur. Nulla auri, argẽtiue, vel ignobilioris metalli tota regione vena, ferro excepto. Sale natiuo caret, quod ab externis petit. Vno nobilissimarum pellium beneficio, tot negata naturæ iniuria commoda sarciuntur. Martarũ enim Castorum, Harmelinorum, Aspreolorum, nigrarũ, & albarum Vulpium, Luporum, Panterarum, Vrsorumq; pelles,

Lithuani in omnem Europam mittunt. Hercinia sylua bonã Lithuanię partem occupat. Ea immanibus feris pręter eas quę in Germania, Polonia, Italia, Galliaq; reperiuntur, plenissima; iubatos Bisontes ferocissima taurorum specie, cornibus quandoq; sic diductis, vt tres proceræ staturæ viros, eorum interuallum capiat: Alces item ceruina effigie, colore tamen ad albedinem inclinante, & cornibus nonnihil differentibus producit. Alces pernicissimè currunt, verum ad instar equi gradarij. Caro Bisontis, & Alcina, inter delicatoria ob-

ſonia apud Polonos, & Lituanos apponitur. Sed ex pellibus Alcinis optimi cõficiũtur thoraces; quibus Poloni, & Lithuani milites in bello vtuntur. Vngulæ Alcinæ, ſi rectè, & ſtatis temporibus abſcindantur; certiſsimum aduerſus Comitialẽ morbum antidotum præbent. Habet Lithuania equos ſylueſtres, habet & ingentis magnitudinis vrſos; quos ioculatores, ab ineũte ætate ſaltus quoſdam, & choreas edoctos: per omnem ferè Aquilonarem regionem cicumducunt; lucri gratia. Auium quæ aucupio capiuntur incredibilis eſt numerus.

merus. Gallinæ, Capones, Anates, Anſeres, cæteraq; ad victũ pertinentia, exiguo venæunt precio. Maioris, minorisq; pecoris ſumma eſt copia. Volunt Lithuanos Romanorum exules eſſe. Neq; id omnino fabuloſum eſt, cum eorum lingua, non paucas habeat admixtas latinas voces, corruptas tamen magisq; Italicum, aut Hiſpanicum ſermonem quam latinũ, redolentes. Nonnulli Libonẽ aliquem Romanũ, ad ea littoria maris Balthici, quæ ad oriẽtem ſolem ſpectant, & Roxolanis finitima ſunt appuliſſe; & prouinciam de ſuo nomine Li

boniam, ſeu Liuoniam appellaſſe ſuſpicantur. Atq; inde dilatatis finibus eoſdem Romanos qui Libonem ſecuti erant, magis corrupto vocabulo Lithuanos appellatos, alios qui in Pruſsiam ſeceſſerunt antiquum Pruſſorum nomen retinuiſſe. Lithuani enim Liuonienſes, & Pruteni, ſi de antiquis earum regionum incolis loquendum eſt; eadem ferè lingua vtuntur. Nam qui in Pruſſiam, & Liuoniam poſteriori tempore colonias deduxerunt Germani, Teutonicum ſermonen propagarunt. Quamobrem valdè mihi erraſſe videntur

tur

tur illi, qui Lithuanos omnes Slauonica lingua vti ſcripſerunt. Verùm quidem eſt nobiliores viros Polonicum, & Roxolanicum ſermonem vſurpare; ſed plebs peculiare Lithuanicum idioma habet. Quidã ex eo Lithuanos Romanorum exules eſſe contendunt, quòd Lithuaniæ nomen, paucis immutatis literis appellationi Italiæ nõ abſurdè cõueniat. Quomodocũq; res ſe habet nos quã do hæc Romanorum migratio extiterit, dicere non habemus. Cęterũ Lithuani, cultu corporis, genere armorum, ipſis deniq; moribus, nihil ferè à Polo-

O ij nis

nis differunt. Equitatu maximè valent. Vnde magna regi Polono auxilia. Equorum, & hominum tanta multitudo, vt eos posse cóficere quadraginta equitum millia, ab expertissimis prouincialibus accepérimus. Equi eorum elegantes, robusti, & velocissimi habentur. Raro illis est quies, nam cótinuum ferè cũ Moscouitis de finibus bellum gerunt. Vnam, & eandem Reipub. administrationem, eosdemq; cum Polonis magistratus habent. Nobilitas tamen vniuersa, secus atq; apud Polonos, Ducum, Comitum, Baronum, Equitumq;, titulis

tulis comprehenditur. Poloni enim, præter equestrem dignitatem, cæteras veluti antiquo gentis instituto odij plenas, detestantur. Magnæ proceribus Lithuanis opes, nec desunt qui vel exercitum aliquandiu alere posśint. Vnde ridiculum est, quod ab aliquibus memoriæ proditum reperitur; nullum esse apud eam gentem pecuniæ vsum. Duces proceresq; insignes hodie apud Lithuanos cēsentur. Dux in primis Slucēsis, qui incredibili priuatarum opum apparatu, vel aliquibus Italicis Germanicisq; principibus exæquari potest Duces

item ex illustrißima Radiuilorum familia; ex qua Sigismundus secundus Augustus Rex, lectißimam fœminam Barbarã vxorem duxit. Eius gentis lumen singulari ingenij atq; prudentiæ laude, nunc floret: Nicolaus Radiuilus, Dux de Oliga, iuuenis omnibus belli pacisq; artibus apprimè ĩstructus. Magna quoq; est clarißimæ Chotcheuiciorum Comitum gentis, apud Lituanos dignitas: in qua Comes Ioannes Chotcheuicius, summus magni Ducatus Lithuaniæ Maresalchus, Samogitiæ prouinciæ Capitaneus, & amplißimi prin
cipatus

cipatus Liuonici regio nomine Gubernator, veluti iubar quoddam vniuersæ Lithuaniȩ lumen subministrat. Cuius viri tanta est in rebus gerendis dexteritas, tantȩ sũt opes, vt haud sciam an aliquis in amplißimo regni Polonici Senatu inueniatur; in quem natura tot ingenij fortunæq; bona contulerit. Sed quanto præstantior est Principum, nobiliumq; Lithuanorum auctoritas; tanto deteriori plebs vniuersa conditione censetur. Nam vt quisq; seruorum caterua stipatus, agricolæ alicuius ædes ingreditur: impunè quiduis agere, & agri-

colam ipsum pulsare licet. Colonis ad dominos absq; muneribus aditus non patet: domini agricolas, & laboribus quotidianis, & grauibus torquent exactionibus. Vltimi omnium Europæ gentium qui repudiato falsorum Deorũ cultu, Christo Deo descripti sint, fuere Lithuani; Vuladislai primi Iagellonis regis tempestate, qui cum magni Ducis nomine vniuersæ imperitaret Lithuaniæ, à Polonis ad regnum adscitus, abiecto gentilium ritu, sacro fonte ablutus, vniuersam illã gentem, christianis sacris sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ mo-

re initiari curauit; Anno millesimo tercentesimo octogesimo septimo Sed nunc plæriq;, Roxolani maximè incolæ, introductum olim Græcorum ritum sequuntur: Episcopis eius sectæ obtemperantes, qui ab Constantinopolitano Patriarcha suam petunt confirmationem. Irrepsit etiam in Lithuaniam patrum nostrorũ memoria, omnium færè hæresium fæx, magno Reipub. Christianæ detrimẽto. Sunt tamen hoc tempore in illa prouincia viri religiosi, ex Societate nominis Iesu, qui vberes in vinea domini quotidiè edunt fructus.

1387

ctus. Eorum enim opera, Lithuania, & pertinaces Gręcorum opiniones repudiare, & insulsos hæreticorum errores bona ex parte abiurare cæpit.

DE NOBILIBVS *Lithuaniæ Vrbibus.*

CAP. II.

Vilna illustrissima in Lithuania vrbs, & totius prouinciæ metropolis intra colles, vbi Velia, & Vilna flumina miscentur: & descriptione ædificiorum pulchritudineq;, & populi frequentia, & amplitudine ipsa, singulas quidem Lithuanię ciuitates superat,

perat, cum cæteris vero nobilioribus septētrionis vrbibus, dubioprocul potest comparari. Duas arces habet maximis Lithuanorum principum sumptibus constructas, magnitudine operum, & ædificiorum splendore conspicuas. Multa per vrbem insignia diuorum templa, plurimæ superbæ in singulis ciuitatis regionibus, procerum, nobiliū, ciuiumq; ædes. Est enim & magnorum Ducum, & Episcopi sedes. Episcopum primus in ea Vuladislaus Iagello Poloniæ Rex, instituit; multis Episcopo, & vniuerso Ecclesiastico ordini attributis

butis diuitijs; Anno ſalutis hu
1387 manæ, milleſimo, tercenteſimo octogeſimo ſeptimo. Sunt & plęraq; religioſorum virorum cænobia: ſed Franciſcanorum obſeruantium, omnia eius vrbis opera antecellit. Plura in vniuerſum Roxolanorũ qui Græcanicos ritus ſequuntur, quam Romanæ obedientię templa. Floret hodiè Vilnæ Collegium Societatis Ieſu, omni optimarum diſciplinarum genere; ab Valentino eius vrbis Epiſcopo inſtitutum. Doctorum hominum, qui publicè bonas litteras profitentur, & nobilium ſcholaſticorũ ea frequen

quentia, vt non ſcholam aliquam priuatam, ſed florentiſsimam Academiam dixeris. Eſt enim ea Ciuitas, multa omniũ rerum commoditate inſignis. Mercatorum atq; opificũ omnis generis, & ex omni gente incredibilis numerus. Rerum in foro vænalium ea copia; vt vel maximus exercitus non difficultèr ſuſtentari queat. Victualia ære venęunt exiguo, ſi cęterarum regionum ſumptus æſtimaueris. Palatinus Vilnenſis militarium procerum Lithuanorum, in Senatu regni eſt princeps. Caſtellanus inter maiores regni Conſiliarios numeratur.

Præ

Præfectus ciuitati regio, & magni Ducis nomine præest. Prope Vilnam Tartari gens Scythica, supra Vacam omnem agros colunt; Mahumethanæ superstitionis asseclæ Eos Vitoldus Lithuaniȩ Dux, ex media Scythia abductos, cum vxoribus & pueris, in media Lithuania collocauit; Anno christianæ
1396 salutis, millesimo tercentesimo nonagesimo sexto. Viuunt ij suis legibus, & ex æquo cũ Lithuanis magni Ducis imperium agnoscunt. Boni sunt patresfamilias, neq; rei militaris ignari. Conscribuntur aliquot ex eorum numero turmȩ, qui-
bus

bus Rex in bello vti consueuir. Cæterum Lithuania penes Vilnam plærasq; non ignobiles habet ciuitates, & oppida cũ castris nobilissima: quæ si mihi singula percensenda essent, aliud me scribere volumen necessum esset. Ex hoc manifestũ, est falsam esse eorum opinionem, qui rara in Lithuania oppida, Villarum incolatum infrequentem scripserunt. Verũ quidem est Lithuaniã cultam non esse, vt Italia, Germania, & Polonia, verumtamen non ita omninò destituta est incolis vt isti volunt. Quare quæ olim aut syluis horrida, aut pa-
ludibus

ludibus fæda fuit: nunc exciſis
pluribus in locis nemoribus,
exutaq; priſtina barbarie, ab
vrbanis, & ciuilibus habitato
ribus excolitur.

QVARE REX POLO- *nus vſurpat titulum Magni Ducis Lithuaniæ.*

CAP. III.

LIthuania quos primũ
Magnos Duces habue
rit, & quando Magni
Ducatus titulo ſit exornata; mi
hi vt ingenuè fatear non con-
ſtat. Dubium eſt enim an Li-
thuanorum Ducum quiſpiam
eam dignitatem propria vſur-
pauerit

pauerit auctoritate, vel ab alio
delatam acceperit. Veriſimile
eſt tamen aliquem Lithuaniæ
Ducem, ſubiugatis & in ditio
nem ſuã redactis vicinis Duci
bus, auctaq; potentia, Magni
Ducis titulum arripuiſſe. Ma-
gni Ducis enim nomen, apud
Lithuanos: quaſi in alios mino
res Duces poteſtatem exercen
tis ſonat. Mihi probabile non
videtur, Lithuanos olim barba
ros, & falſis gentilium ritibus
addictos, eam dignitatem ab vl
lo imperatore vel etiam rege
ſuperiori accepiſſe. Quare nõ
abs re ſuſpicandum erit, ſimi-
liter Lithuanos, quemadmo-

dum etiam Moſchorum Duces, ſubactis vicinis Ducibus, magnorum Ducum titulũ priuata auctoritate vſurpaſſe. Immò & nunc Magnus Moſchouiæ Dux, Imperatoris, & Regis Rufsiæ dignitatem, ſibi in literis quas ad Pontificem, & Imperatorem Romanum ſcribit, temerè vendicat. Præſtantiſsimus autem omnium qui apud Lithuanos magni Ducis nomine imperitarũt, fuit Vuladislaus Iagello. Eius præclariſsima ſtirps, atq; propago, ab Gedimino Magno Lithuanię Duce, ſumpſit exordium. Erat is Gediminus apud Vitinenẽ Ma-

gnum Lithuanorũ Ducem ſtabuli præfectus, qui interfecto Vitenene hero ſuo, & legitimá ipſius vxorem, & Lithuanorum dominatum arripuit. Ex vxore multos ſuſcepit liberos, ſed duos maximè inſignes, Olgirdum, & Cheſtudum. Cheſtudus pater fuit Vitoldi, qui poſtea Alexãder dictus eſt, Olgirdus procreauit Iagellonem. Hic eſt ille Iagello, magnus Lithuaniæ Dux; qui abrogatis idolorum ſuperſtitionibus, ſacris Chriſtianorum initiatus, Vuladislai nomine accepto, & reginam Heduigim Ludouici Hungariæ, & Poloniæ regis

filiam, quam Poloni regio dia demate ornauerãt, & regnum apud Polonos consecutus est; Anno salutis humanæ, millesi
1386 mo tercentesimo octogesimo sexto, quartadecima die, men sis Februarij. Et vt parem Polonis omnibus, tam præclari beneficij referret gratiam; post consummatum cũ Regina ma trimonium, Lithuaniam omnem cum Samogitia, & ea Roxolania parte, quæ in ditione eius erat, Poloniæ Regno iure sempiterno adiunxit, & in vnum Regni Polonici corpus redactam, regibus Polonis ob noxiam fecit. Quam tamen

succedentium temporum interuallo, Vitoldo fratri patrueli, iure beneficiario concessit: accepto ab illo iureiurando, quod in fide, & clientela Polonorum regum, semper futurus esset. Anno orbis redempti
millesimo tercentesimo nona 1392
gesimo secundo. Defuncto Vitoldo Duce, Suitrigelo Vuladislai regis frater, magnum Lithuaniæ Ducatum priuato cõsilio inuasit. Cui Rex armis amoto, Sigismundum alterum fratrem patruelem, subrogauit; qui se in fide, & clientela regis Poloni, ad quem Magni Ducis Lithuaniæ titulus, iure

ſpectaret, ſemper fore iurauit.
1432 Anno milleſimo quadringen-
teſimo triceſimo ſecundo. Si-
giſmundo Magno Lithuano-
rum Duce, conſpiratione pro
cerum, propter immoderatum
in ſuos dominatum trucidato;
Vuladislaus ſecundus Iagello-
nius Poloniȩ Rex, magnum Li
thuaniæ Ducatum, Caſimiro
fratri adminiſtrandum manda
uit. Qui pro gubernatore in
Lituaniam profectus, Vilnæ
Dux magnus, ab Lithuanis ac
clamatus eſt; Polonis, qui eum
ſecuti erant, nequiquàm relu-
1440 ctãtibus. Anno milleſimo qua
dringenteſimo quadrageſimo.

Erepto è rebus humanis Vula-
dislao rege, Caſimirus nõ mo
dò apud Lithuanos principa-
tum ſtabiliuit; verumetiam à
Polonis rex electus, regio dia-
demate inſignitus eſt. Anno
milleſimo quadringenteſimo 1447
quadrageſimo ſeptimo. Extin
cto Caſimiro rege, vniuerſi Li
thuanorum ordines, Alexan-
drum filium patris morientis
mandato, Ducem ſibi creaue-
runt: qui poſteà proſperiori
vſus fortuna, Ioanni Alberto
regi, in regnum Poloniæ ſuc-
ceſsit. Anno milleſimo quin- 1501
genteſimo primo. Alexander
Rex, & Poloniæ regnum, &

magnum Lithuaniæ Ducatũ, morte ſua Sigiſmundo fratri reliquit. Sigiſmundi primi regis regnum, vna cum vniuerſa Lithuania, Sigiſmundus Auguſtus filius excepit. Qui cum noſtra memoria, magnũ Lithuaniæ Ducatum, arctiori quodam ſocietatis vinculo, cum ampliſsimo Poloniæ regno copulare, & antiqua inter Polonos & lithuanos pacta renouare cuperet: indictis Lublinum Roxolaniæ ciuitatem, generalibus totius regni Comitijs, de ampliſsimi Conſilij ſententia legem tulit; vt Lithuania deinceps regni Poloniæ prouincia; &

& ex Lithuanis, & Polonis, ſub vno rege, vna gens eſſet. Adde vt Rex Polonus, vtriusq́; nationis ſuffragijs in Polonia eligeretur: & qui in regem Poloniæ electus eſſet, is etiã magni Ducis Lithuaniæ titulum, & vniuerſam Lithuaniam obtineret. Ex quibus omnibus ſatis quisq́; intelligere poteſt; regem Polonum non immeritò magni Ducatus Lithuaniæ dominatum vſurpare; cum ſingulari primùm Iagelloniorum regum beneficio, qui legittimi Lithuaniæ Duces, & hæredes fuerunt; deinde etiam ſumma, & conſtanti omnium Lithuaniæ

tuaniæ ordinum voluntate, in vnum regni Polonici corpus ſuerit redactus.

DE ROXOLANIA. CAP. IIII.

RVſsia ſiue Roxolania, quã Moſchouitæ Roxolanorũ populi (Roſſeiam) antiquitus appellatam volunt; quaſi gentem diſperſam vel diſſeminatam, id quòd etiam etymologia vocis ſonat; quidquid terrarum eſt, inter mare Balthicum, Liuoniam, Suetiam, Oceanum glacialem, Rha fluuium, Mæotim paludem, Pontum Euxinum, mon-

tes Sarmaticos, Poloniam, Lithuaniam, & Samogitiam, cõplectitur. Quæ quod amplisſimis cõtineatur finibus; in duas regiones, ſiue in duo imperia diuiditur. Altera eſt enim Roxolania, quæ Carpathios mõtes non longè ab vrbe attingit Cracouia, & ſecundum fluuium Tyram, ad Valachorum regionem, ex altera parte ad Boriſthenem, & Pontum Euxinum porrigitur; & ad vtranq; Axiacis fluminis ripam vergit. Altera quæ vltra Boryſthenẽ ad Tanaim, vsq; extenditur, & ab Tanai ad Aſtrachan nobile emporium, vbi à Medis,

Persis, Armenis, Schytis, & Moschouitis nundinæ celebrã tur. Sita est Astrachan in citeriore Rha fluminis ripa, ad eius ferè ostia. Scinditur autem Rha fluuius, qui & Volga appellatur, non magno interiecto, ab illa vrbe spacio, in septuaginta ramos, plurimasq; facit insulas, totidemq; ostijs nauigabilibus, in mare Hyrcanũ euoluitur. Quæ cum ita sint; prior Roxolania, quam regiam appellare libet, regni Polonici pars censetur, illa verò quæ vltra Borysthenem fluuium ad mare Caspium, & Persarum vsq; regna extenditur, magni

gni

gni Moscouiæ Ducis imperio paret. Hæc quam regiam vocamus, Leopoliensi, Lublinensi, Belsensi, nec non Podoliæ, Voliniæ, Chiouiæ, Circasiæ, & Podlachię regionibus compræhenditur. Diues est pecoris, cuius tantam nutrit copiã, vt veluti Bauaria sues, ita hæc boues, & infinitos propemodum ouium greges, multis Europæ nationibus abundè suppeditet. Equi Roxolanici pernicitate, & elegantia, Hispanicis, & Traycijs vix cedunt; robore autem illos longè superant. Cæra, Melle, & Sale Roxolania in vniuersum abundat.

Ex

Ex Melle optimus decoquitur medo. Vino natiuo caret. Habet probati ferri, nec non candidiſsimi Alabaſtri venas. Cætera deſiderantur metalla. Piſcium omnis generis incredibilis copia; in quibus potiſsimum incolarum conſiſtunt opes. Lucei quos etiam lupos appellamus, nullibi plures, aut delicatiores. Tota regio fæcunda, ita vt ſemper viliſsimo precio fruges, carnes, cæteraq; ad victum pertinentia ibidem venæant. Nobilium animaliũ pellibus ſcatet. Venatione ferarum nulli prouinciarum cedit. Reperiuntur in vaſtis Podoliæ ſolitu-

ſolitudinibus, Biſontes, Alces, & equi ſylueſtres; quorum frequentiſsimi greges, cum noctu ad aquas potandi cauſa cõueniunt; vel maximos exercitus, quos ibi Rex aduerſus continuas Tauricanorum Tartarorum prędationes alit, falſa hoſtilium copiarum imagine decipiunt. Sunt & circa Boryſthenem oues ſylueſtres, Capreolorum ſtaturam non excedentes, curtioribus tamen pedibus, perniciſsimi curſus, & altiſsimorum ſaltuum. Cornua in altum porrecta, quibuſdam circulis notata conſpiciuntur: ex quibus Roxolani tranſparen

rentia cultellorum manubria elegantèr conficiunt. Vniuerſa hæc Podoliæ prouincia, multis nobilibus irrigatur fluminibus; lacus piſcoſiſsimos habet: vbertate agrorum omnes totius Europæ regiones ſuperat: nemoribus ſparsim ornatur amæniſsimis. Quà tamen Scythiam reſpicit, magna ex parte habitatoribus caret; ita vt accuſanda ſit noſtrorum hominum negligentia; qui eos ſinunt immanibus feris patere cāpos, ex quibus homines ingenio, ac induſtria prẹditi, magnos, & vberes fructus percipere poſſent. Hodie tota regi

Polono ſubiecta Roxolania, ab Roxolanis, antiquiſsimis eius regionis incolis, & à Polonis, quorum poſteriori tempore, deductæ fuerunt coloniæ, excolitur. Roxolani quidem, habitu cultuq́; corporis, genere armorum, lingua, & moribus, nihil ferè ab alijs Slauonicæ linguæ populis diſcrepant. Ante
ſexcentos annos imperantibus 980
apud Græcos Baſilio, & Conſtantino fratribus, chriſtianis ſacris initiati ſunt, eo potiſsimum tempore, quum Græci antiſtites, ab Eccleſia Latinorum diſſentire cæperunt. Quò fit vt Græcorum, olim imbuti

ſuperſtitionibus, nunc etiam Romanæ Eccleſiæ principatũ, ſuperbè & peruicaciter negare nõ vereantur. Obſequũtur ſuæ ſectæ Epiſcopis, qui ab Conſtãtinopolitano patriarcha, cõfirmationem petunt. Poloni enim, qui in Roxolania degũt, Latinorum ritus ſequuntur, & Latinis Epiſcopis obtemperãt. Princeps totius regionis ciuitas Leopolis, ab Leone Duce condita, Archiepiſcopum habet Romano Pontifici ſubiectum. Frequens Turcarũ, Græcorum, Armenorum, Scytharumq; mercatorum ad eam cõuentus. Agris exornatur fœcundiſsi

diſsimis, qui fruges, cum nobiliſsimis fructibus, affatìm producunt. Piſcium ea copia, vt inde in omnem ferè Sarmatiam, magno incolarum lucro mittantur. Verum vbi Roxolani Moldauos ſpectant, Camenecium nobilis cum Caſtro Ciuitas, & Epiſcopi Romanæ obedientiæ ſedes; non tam arte hominum, quam ſingulari naturę beneficio inexpugnabilis efficitur. Eſt enim in excelſæ rupis vmbilico conſtructa, foſſas habens profundiſsimas, non humano exciſas artificio, ſed ab ipſa rerum omnium parente natura productas. Saxum in-

gentis magnitudinis, & mæniorum, & propugnaculorum vicem ſuſtinet. Fuit olim Chiouia, nobiliſsima Roxolanicæ gentis metropolis, quam ampliſsimam, & omni ſuperborum ędificiorũ ſplendore olim extitiſſe ornatiſsimam, ingentes adhuc ruinæ, quæ in ruderibus viſuntur, referunt. At nunc amiſſo priſtino dignitatis ſplẽdore, ciuitas eſt Epiſcopalis cũ inſigni caſtro, quam Boryſthenes fluuius alluit. Vaſtæ ſunt Chiouienſis regionis ſolitudines; attamen plæriſq; in locis feliciſsimè excolitur. Palatinus prouinciæ Chiouienſis, cum

ſumma in vniuerſa regione poteſtate, magnum quoq; in ampliſsimo regni Polonię Senatu dignitatis gradum obtinet. Hodie Palatini munere fungitur, Conſtantinus Oſtroſiæ Dux, vir & inſigni præſtãtiſsimarũ virtutum laude, & rei militaris peritia illuſtris: cuius præclariſsima ſtirps, atq; propago, ab antiquiſsima Chiouienſiũ Ducum domo; qui olim totius Roxolaniæ dominatũ habebant: originem ducit. Sed quâ Ruſsia Polonis, & Hungaris eſt propinquior, Præmiſlia Ciuitas cum arce non ignobilis, & Epiſcopi ſedes conſpi

citur; quæ ab ſeptentrionali latere Sano fluuio, qui ex Sarmaticis montibus, non longè ab fontibus Tybiſci oritur, magno incolarum commodo alluitur. Ab ea vrbe, aliquot dierum itinere Lublinum peruenitur, quo loci, ſtato anni tempore inſignes celebrantur nundinæ; ad quas ex varijs terrarũ orbis prouincijs mercatores Moſchouitæ, Lithuani, Tartari, Liuonienſes, Prutheni, Roxolani, Germani, Hungari, Armeni, Turcæ, Valachi, atq; Ebræi confluere ſolent. In Volinia frequentiſsima totius Roxolaniæ prouincia, Luceorium

rium vrbs põtificalis cernitur. Ceterę ciuitates parum nitidæ. Quare concludendum eſt, Roxolaniam totius regni Polonici regionem fertiliſsimã, Ruſſos verò inter omnes Sarmaticas gentes (Polonos excipio) bellicoſiſsimos eſſe.

QVARE REX POLONUS *vendicat Ducatũ Roxolaniæ.*

CAP. V.

RVſsia quos primum ab omni hominum memoria Duces nacta ſit, auctores qui ad noſtras peruenerint manus non memorant. Etenim barbara Roxolanorũ

gens, ante susceptam Christi
fidem characteribus carebat;
quibus præclaræ maiorum res
gestę, ad posteritatem transmit
terentur. Eorum quidem an-
nales, in septentrionali Roxo
lania, quam nunc Moschouiã
appellamus; Ruricum, Sinaũ
& Truborum fratres; in Au-
strali verò, quæ modò regni
Polonici prouincia censetur,
Chium, Sciecum, & Choreuũ
cum sorore Libeda, circiter
861 octingentesimum sexagesimũ
primum, ab orbe redempto
annum imperare cæpisse asse-
runt. Sed quinam hos perpe-
tua succesſionis serie sint con-
secuti,

secuti, difficilè est, in tanta scri
ptorum inopia, ex obscurita-
tis tenebris eruere. Hoc tamen
ab optimis auctoribus memo-
riæ proditum est, fuisse olim
apud Roxolanos viros princi-
pes; qui se & Ducum, & Mo-
narcharum, & Regum titulis
exornauerunt. Colomanus .n.
Andreę Hungarię regis frater,
cum Haliciam ab Roxolanis,
ad principatum expetitus ve-
nisset; ab Episcopis quos in co
mitatu suo habebat, ritu sole-
mni coronatus, & Rex Gala-
tiæ siue Haliciæ, quæ ciuitas
est in Roxolania, ad radices Sar
maticorum montium, appella-
tus

1200 tus est. Circiter Millesimum ducentesimũ annum. Ex quo tempore Vngari reges, etsi postea Russia omni prorsus exciderũt, regni tamẽ Galatiæ, siue Lodomeriæ titulum, semper vsurpauerunt. Exstincto Colomanno Haliciensium rege, Daniel Romani Roxolanorũ Ducis filius, magnã sibi apud eam gentem comparauit potentiam. Et vt maiori esset, & augustiori apud vicinas nationes dignitate; legatione ad Opissonẽ legatũ Apostolicum in Poloniam missa, cũ promitteret se ad auctoritatem sedis Romanæ accessurum, regium titu

titulum pro se, & vniuersa sua posteritate ab eo impetrauit, Verùm vt primùm voti compos est factus, promissis quibus se legato põtificio obstrinxerat, non stetit. Cæteri qui apud Roxolanos imperarunt vel Duces, quod aliquem principatum obtinerent, vel Monarchas, quod cæteris principibus præessent, sese appellauerunt. Quo iure autem, vel quo modo Russia, in potestatẽ Polonorum concesserit explicandũ est. Multa sæpè memorabilia, Poloni reges cum Roxolanis principibus bella gesserunt. Nam & Boleslaus primus Poloniæ

loniæ Rex, vt ſupra docuimus, ingentes eorum copias, apud Axiacen fluuium profligauit, & metropolitanam gentis vr-
1008 bem Chiouiam, ad deditioné cópulit. Anno milleſimo octa uo. Boleslaus ſecúdus pari fortunæ vſus beneficio, capta denuo Chiouia, (quæ ab obſequio Polonorum principum defecerat) Ruſſorum vires vni
1074 uerſas fregit. Anno milleſimo ſeptuageſimo quarto. Atq; ex eo tempore Roxolania Polonorum facta tributaria, regibus Polonis obnoxia fuit; ita tamen vt ſuos eorum indulgentia Duces haberet. Qui diſcer
pto

pto poſthæc, in plæraſq; minorum principum ditiones Polonico imperio: Polonorum iugum pedetentim excuſſerunt. 1340
Sed nó diu inulta eorum manſit perfidia. Lubartus enim Gedimini Lithuanorum Ducis filius, ducta in vxorem Vuladimirienſium Ducis filia, omné eum Roxolaniæ tractum, qui Lithuanis finitimus eſt, in ſuam redegit poteſtatem. Donec tandem Caſimirus magnus Poloniæ Rex, Roxolaniam auſtralem, & regiam ipſius vrbem Leopolim, maiorum ſuorum negligentia amiſſam, recuperauit; excepta ea parte quæ Li-
thua

thuanicæ ditionis erat, quam
illis ex pacto ad biennium in-
tactam reliquit. Anno Christi
1340 millesimo tercentesimo qua-
dragesimo. Et vt omnem Ro-
xolanis omnibus eriperet re-
luctandi occasionem, Rusiã
subactam ab se in formam pro
uincię redegit, creatisq; Polo-
norũ more magistratibus, Ro-
xolanos omnes in vnum regni
Poloni corpus adscripsit. Ex eo
tempore Roxolania australis
consilio publico à Polonis nũ-
quam defecit. Ad extremum
Vuladislaus Iagello Magnus
Lithuaniæ Dux, à Polonis ad
regnum adscitus, non Lithua-
niam

niam modo & Samogitiã vni-
uersam, sed etiam eam Roxo-
laniæ partem, quam ditione
tenebat, regno Poloniæ iure
sempiterno contributam regi-
bus Polonis subiecit. Anno
millesimo tercentesimo octo- 1386
gesimo sexto. Ab eo tempore
Roxolania regia, Polonis sem-
per regibus paruit. Etsi in-
terdum aliqua eius portio,
nonnullis principibus iure be-
neficiario fuerit concessa. Ita
vt cognoscere possimus, qua
ratione eius regionis domina-
tus, ad regem Polonum perti-
neat.

DE PRVSSIA CAP. VI.

PRussia siue Borussia, regio totius regni Polonici florentissima, ab oriēte sole Lithuaniam spectat, à meridiè Polonis conterminа, ab septentrione Liuonienses, & ab occidente Pomeranos respicit. Mare Balthicum, quòd & Venedicum, & Codanū sinum appellant, prouinciā alluit. Sinus Balthicus, ex Britannico mari sumit exordium. Eius ostium ad occidentem solem non longè ab Cimbrica Chersoneso, quam hodiè

diè Daniam vocamus, spectatur. Sed qua parte contingit Prussiam, plærisq; sinuosis flexibus amænam, & opportunis portubus cōmodam facit. Nō arbitror quaquâ patet Sarmatici regni imperium, regionem aliquam reperiri, quæ cū hac, & illustrium vrbium atq; oppidorum frequentia, & ingentibus incolarū diuitijs conferri queat. Quod si singularé terræ vbertatem, maioris minorisq; pecoris incredibilem copiam, venationem, piscationem, ipsam deniq; totius regionis summa cum voluptate coniunctam amænitatem, spe-

ctare velis, vix illam aliqua in tota Europa prouincia ſuperabit. Succinũ antiquis Gleſſum appellatum, in littore maris Balthici, Pruteni legunt. Nulla tota regione vinearũ cultura. Vinum ab externis importatur. Pontus genti cõmunis, vt Polonis ceruiſia. Nulla metallorum ſectura, ferro excepto. Cæterum regio hæc, quam nunc Pruſsiã appellamus, olim ab alijs quàm modò populis habitata fuit; qui Pruſsi ſiue Boruſsi, vel etiam Boruſci auctore Eraſmo Stella dicti ſunt. Ptolomæus Boruſcos, populos in Sarmatia Europęa ad ſepten

trionem ponit, in ea ora quam nunc Liuonienſes, & Moſchouitę occupãt. Ex quo probabile eſt, eos aliquando inde profectos, non ſolum vniuerſum illum terrarum tractum, quem nunc Lithuani, & Samogithæ tenent; verũ etiam totam eam regionem quę penes maris Balthici littus, vsq; ad Viſtulam, & Oſſam fluuios excurrit, in ſuã ditionem redegiſſe, & Boruſſos ſiue Pruſſos, parum immutato nomine appellatos eſſe. Quæ cum ita ſint, conſtat barbaram Pruſſorum gentem: victricibus primum Polonorum principum armis, deinde etiã

ab Germanis Marianæ militiæ adſcriptis ſubactam, & chriſtianis ſacris initiatam; ad extremum etiam totam fermè deletam eſſe. Exſtant tamen adhuc exiguæ eius nationis reliquiæ, in vicis & pagis Varmiēſis, & Sambienſis prouinciæ; quę in ſermone cū Lithuanis & Samogithis mirificè conueniunt. Succeſſerunt in antiquas Pruſſorum ſedes, Germani atq; Poloni; qui nunc etiam prouinciam colunt. Equites Teutonici Germanorum, Poloni reges Polonorum colonias in Pruſsiam deduxerunt. Fratres Teutonicos S. Marię militiam pro

profeſſos, ex Syria ab Saracenis eiectos, Conradus Maſouiæ Dux, ad propulſandam Pruſſorum vim accerſiuit. circiter Milleſimum ducenteſimum viceſimum octauū annum. Qui 1228
poſt exſtirpatā barbaram gentem, multis exſtructis ambicioſis vrbibus, Germanicū ſermonem in Pruſsiam introduxerunt. Magnæ olim erāt Teutonicorū equitum opes; neq; minor potentia quam regibus. Multa illis cum Polonis bella interceſſerunt. Ad extremum victi, quod ſe aduerſus legittimos Pruſsiæ patronos, vitio ingratitudinis contaminauerant;

facultatum suarum iacturam fecerunt. Nostra tempestate Prussia vniuersa, in regiam, & Ducalem diuiditur Prussiam. Hæc regium: illa Ducis imperium sequitur. Dux ipse regis Poloniæ beneficiarius, & vt vulgò appellant vassallus censetur. Tota regio quatuor quódam Episcopalibus Ecclesijs, vt pote Varmiensi, Culmensi, Pomesaniensi, & Sambiensi insignita fuit: nunc ad Varmiensem & Culmensem redacta. Varmiensis Ecclesia, iure suo vtitur, neq; alterius præterquã summi Pontificis Romani, & Poloni regis maiestatem agno
scit.

scit. Episcopus in vniuersa ferè episcopatus sui diocæsi, Ecclesiasticum, & temporarium ius exercet. Episcopalis splendor, summis auctus opibus, Se natoria in amplissimo regni Poloniæ cõsilio, dignitate exor natur. Hodie Varmiensem epi scopatum vendicat, Stanislaus Hosius, S. R. E. Cardinalis, & magnus Pænitentiarius, princeps post hominum memoriã, ad tuendum sacratissimæ religionis Catholicæ cultum, & ad omnes falsorum dogmatũ radices euellendas, atq; exscin dendas natus; qui & singulari in Deum pietate, & præstan-
 tissi

tiſsimis in lucem editis operibus, Polonę gẽtis nomen, apud exteras nationes, mirificè illuſtrauit. Hæc quam nos regiam appellamus Pruſsiam, Culmẽſi, Mariæburgenſi, Michalouienſi, & Pomeraniæ prouincijs continetur. In regione Pomeranica, cuius etiam titulum Rex Polonus vſurpat, Dantiſcum vrbs, quæ & Gedanum, & Gdanum nuncupatur, inter cæteras Pruſsiæ Ciuitates principatum tenet. Putatur ab Viſsimiro principe, ex ſtirpe Lechi, primi Polonorum Ducis, poſt deuictos Danos condita. Vnde à Danis Gdanum appel

appellatũm. Quæ ciuitas nunc modò Septentrionis, verumetiam totius ferè terrarum orbis emporium frequentiſsimũ, iudicatur. Sita eſt ad radices montium, ab littore maris Balthici quinq; millium paſſuum interuallo; vbi Viſtula celeberrimus Sarmatiæ fluuius, ĩ Oceanũ euoluitur. Perducta ex mari in vrbem foſſa, centenarum intra mœnia ſubuehendarum nauium, commoditatem ſubminiſtrat. Propugnaculum in ipſo maris portu exædificatũ, multis impoſitis machinis bellicis, armato milite cuſtoditur. Vrbs vniuerſa ſummis Polonorum

rum regū exornata priuilegijs ad eam dignitatem venit; vt hodiè deſcriptione ædificiorū atq; pulchritudine, commerciorum & opificiorum varietate, incredibili incolarum, & externorum numero, & ingentibus ciuium diuitijs, paucis omnino Europę ciuitatibus cedat; cæteras verò Sarmatici regni longè ſuperet. Spectatur inprimis primarium vrbis fanū, immenſo ſumptu, tamq; admirabili arte conſtructum; vt paucis in toto terrarum orbe templis conferri poſsit. Præcipuum clariſsimi templi ornamentum, æneum Baptiſteriū, &

& ſingulari operis artificio, & incredibili propemodum precio, omnia totius Europæ Baptiſteria ſuperat. Ædes quoq; prætorias maximo auri pondere exædificatas, vna cum ſuperba turri videre licet. Publicum vrbis palatium quòd vulgò Geldam appellant, inter illuſtria numeratur ædificia. Burgrabius cum Proconſulibus, & Conſulibus ciuitatem regio nomine adminiſtrant. Ciues Germani omnes, Teutonica lingua, ſed corrupta aliquantū, Flandricæq; non diſsimili vtuntur. Magnus Dantiſcum externorum mercatorum concurſus.

ſus. Vnde ingētes ciuibus opes. Totus ferè Septentrio, vna cum vniuerſa Gallia, Anglia, Scotia, & Luſitania eò mercatum venit. Vinum Creticum, cæteræq; preciſiores merces, ex Creta, per immenſum Oceanum eductæ per Gaditanas fauces, aduehuntur. Ciuitatis ea nunc eſt potentia, vt iuſtam quotiescunq; neceſsitas poſtularet, apparare claſſem queat. Sed eas potentiſsimæ vrbis vires; ſi quando ab obſequio Polonorum deficere cogitaret: Rex Polonus, non difficulter comprimere poteſt. Interdictis enim mercibus, quę ex vniuerſa

uerſa totius regni Polonici ditione, ſecundo Viſtula flumine aduehuntur, Dantiſcanorum potentia, & opes ſimul intereunt. Neq; enim externi mercatores Dantiſcum accederent; ni incredibilis frugum, cæterarumq; mercium copia, ex vniuerſa Sarmatia ſuppeditaretur. Habet præterea Pruſſia, plures nobiles ciuitates. Ex quibus Elbinga in littore maris, publicarum iuxta, ac priuatarum ędium magnificentia, & copioſis ciuiū opibus antecellit. Torunia in ripa Viſtulæ fluminis, ſplendidis ciuium ædibus, & mercatorum frequētia

tia ſpectabilem ſe reddit. Mariæburgum nobile oppidum, & arx ampliſsima, magni Magiſtri Prutenicæ militiæ olim ſedes, munitiſsimũ totius Pruſſiæ propugnaculum: quod cũ vi capi nunquam poſſet, per deditionem in poteſtatem Caſimiri tertij Poloniæ regis conceſsit. At in Pruſsia Ducali Regiusmons Ciuitas maritima, generalis ſtudij domicilium, & principis ſedes ſpectatur. Sigiſmundus primus Poloniæ Rex, Albertum Marchionem Brandeburgenſem, & magnũ Teutonicorum equitũ in Pruſſia Magiſtrum, ſororis ſuæ filium

lium Ducẽ in Pruſsia creauit: bonamq; regionis portionem ipſi, & fratribus eius, Caſimiro, & Georgio, in mares duntaxat liberos, iure hæreditario, in feudũ vt vocant, conceſsit. Magni magiſtri appellatio in Ducis nomen, quô omnis deinceps reluctandi occaſio tolleretur cõmutata. Albertus noua auctus dignitate, Teutonicæ religionis habitũ depoſuit. Albertus Fridericus filius, qui nũc viuit, paternũ excepit principatum. Sed ut ad vniuerſam Pruſsiam reuertamur, exiſtimo nullam in tota Sarmatia inueniri regionem, quæ ſimili ſpacio

ſpacio tantum oppidorum cõ-
tineat. Sex & quinquaginta no
biliora Prutenorum oppida,
Friderici tertij imperatoris tē-
poribus, eiectis Teutonicis
equitibus, in poteſtatem Caſi-
mi tertij Polonorũ regis, vltrò
venerunt. Ex quo tēpore Pruſ-
ſia ferè vniuerſa, Marianorum
militum pertęſa tyrannidem,
& iniuſto Friderici imperato-
ris offenſa decreto, qui Pṙute-
nis omnibus ſexcentorum mil
lium florenorum mulctam ir-
rogauerat; & gentem vniuer-
ſam, Magno ordinis Magiſtro
in ſeruitutem addixerat, ab im
manibus & iniuſtis dominis,
ad

ad legittimum patronum Polo
niæ regem, publico conſilio de
fecit.

QVAMOBREM REX
Polonus Dux, & dominus
totius Pruſsiæ cenſetur.
CAP. VII.

PRuſsia quonam pacto
in poteſtatem Polono
rum regum conceſſe-
rit, facilè oſtendam; ſi prius
quomodo barbara Pruſſorum
gens, victricibus Polonorum,
& Marianorum militum ar-
mis ſit perdomita, expoſuero.
Boleslaus primus Polonię Rex,
ne longius exordium repeta-
mus, & vniuerſam Pruſsiam,
S Polo

Polonis regibus fecit tributariam; & barbaram Prussorum nationem, sacris Christianorum ritibus initiari curauit: cir
1016 citer Millesimum decimum sextum annū. Casimirus etiam primus eius nominis Polonorum Rex, maximas Prussorum copias, quæ Maslao Masouiæ Tyranno suppetias ferebant, collatis cum hoste signis, ad internecionem profligauit: fractisq; totius gentis viribus, debita sibi tributa pendere coe-
1043 git. Anno salutis humanæ millesimo quadragesimo tertio. Boleslaus Crispus Poloniæ princeps, Prussos sacram Chri

sti fidem quam abiurauerant, recipere; & ad obsequium Polonorum redire compulit. An
no millesimo centesimo sexa- 1164
gesimo quarto. Abiecerunt tamen, non magno post interiecto tempore, Christianam religionē Pruteni; immò & Polonis principibus, succedentiū temporum interuallo, obtemperare se velle negarunt. Eos Casimirus Poloniæ princeps, magnis affectos cladibus, ad officium reuocauit, & superiorum annorum tributa persol-
uere coegit: Anno millesimo 1194
centesimo nonagesimo quarto. Excusserunt nihilominus

posthæc etiam Polonorũ prin
cipum iugum, & magnis Con
radi Masouiæ Ducis ditiones,
affecerunt incommodis. Qui
cum se aduersus continuas bar
barorum prædationes non sa-
tis tutum esse arbitraretur; fra-
tres Teutonicos S. Mariæ mi-
litiã professos; qui amissa Pto-
lomaide, Saracenorũ armis ex
omni Syria pulsi erant, ab vr-
be Romana in auxilium euoca
tos; Culmensi prouincia, &
vniuerso illo terrarum spacio,
quòd inter Vistulam, Mocrã,
& Deruanciam flumina, conti-
netur, donauit; his conditioni-
bus. Vt contra barbaram Prus-

sorum gentem, summis viri-
bus atq; conatibus bellum ge-
rerent. Vbi verò illam domuis-
sent; Culmensem quidem re-
gionem restituerent; cæteram
verò de barbaris captam pro-
uinciam, secum, vel cum po-
steris suis, ex æquo partirentur.
Adde vt cum Polonis aduer-
sus Polonorum hostes essent;
maximè autem illis contra bar
baros opem ferrent. Quod si
aliquandò conuentas violas-
sent conditiones; beneficia
amitterent, & pænam quæ in-
gratis ex iure gentium debetur
subirent. Hæc ita tunc inter Cõ
radum Ducem, & fratres Teu

tonicos, quibus Hermanus de Salza, magni Magistri nomine præerat, approbante Gregorio nono Pontifice, Maximo couuenerunt; circiter Millesi-
1228 mum ducentesimum vicesimum octauum post Christum natum annum. Quo tam singulari religiosissimi principis affecti beneficio, fratres Teutonici; literas quoq; sub aurea bulla ab imperatore Friderico eius nominis secundo, impetrauerunt: quibus ille confirmauit vniuerso ordini possessionem prouinciæ Culmensis, & quidquid ille deinceps in Prussia adepturus esset; itemq; regionem

gionem quæ est inter Prussiam & nouam Marchiam, quam illi Cõradus Masouiæ Dux esset donaturus. Qua quidẽ in parte magnum mihi errorem cõmisisse videntur; cum nec Cæsaris illæ ditiones essent, nec imperator ius aliquod in eas prætẽderet. Vt primùm ergò Prussia, Polonorum beneficio Marianis militibus cessit; viri nobiles, & rei militaris periti, nihil prius habuerunt, quã vt exstructis subitarijs aliquot propugnaculis, barbaræ Prussorũ genti bellũ facerent. Pugnatum est aliquandiù summis vtrinq; viribus: & nunc his nunc illis

 victo

victoria cessit. Ad extremum fortuna fratribus arrisit, omnemq; Teutonico ordini exstirpata, & ad internecionem fermè deleta Prussorum natione Prussiam subiecit. Post partam bello victoriam, sacra Christi religio, & lingua Germanica introducta. Creuit ex amplissimis opibus, & consecuto totius regionis imperio, Teutonici ordinis potentia. Ocium cum summis coniunctum facultatibus, & conuentas fratrum cum Conrado Masouiæ Duce violandi conditiones, & aduersus Polonos legitimos Prussiæ patronos, belli gerendi

gerendi occasionem præbuit. Multa Mariani milites cũ Polonis regibus bella gesserunt, ita tamen vt sæpius victi, quam victores discesserint. Vno apud Gruneualdum Prussiæ oppidũ prælio, Vladislaus Iagello Poloniæ Rex, quinquaginta hostium millia cæcidit. Tota Prussia excepto Mariæburgo præclarissimæ victoriæ fortunam secuta. Quæ tamen post ad Teutonicos Equites redijt; fatis eã Casimiro tertio Poloniæ regi Vuladislai filio, destinanti bus. Cum enim vniuersi Prussorum ordines, iniqua Teutonicorum equitum exagitati Tyrannide

rannide, iniusto etiam Friderici imperatoris decreto, qui eos Magno ordinis Magistro seruorum in morem addixerat offensi, essent; sex & quinquaginta nobilioribus oppidis, in suam potestatem redactis, eiectisq; impotentibus dominis, Casimiro Poloniæ regi de
1454 ditionem fecerunt. Anno millesimo quadringētesimo quinquagesimo quarto. Rex, acceptata deditione, cum exercitu in Prusiam profectus, à Proceribus, Nobilitate, & Ciuitatibus, solenne iusiurandū exegit. Episcopi etiam Prutenici, abiecto cultu Teutonico, cum

cum suo quisq; sacerdotū Collegio, in verba regis iurarunt. Prusia vniuersa, de amplissimi consilij sententia in vnum regni Polonici corpus adscripta. Vectigalia & portoria Prutenis omnibus remissa. Omnes Prussorum ordines magnis aucti priuilegijs. Conati sunt nihilominus Teutonici Equites, Prusiam ex manibus Polonorum regum vindicare. Et principiò quidem fortuna illis fauere visa est, cum Casimirum regem, iniquitate potius locorum, quam vera virtute victū, cum vniuerso Polonorū exercitu, apud Choiniciam oppidum

dum in fugam coniecissent; multasq; præterea Prusiæ munitiones, vt est varia Martis fortuna, recepissent. Ad extremum tamen fracti victricibus Polonorum armis, pacem cum
1466 Casimiro rege fecerunt. Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto, decima nona die mensis Octobris. Culmensis, Michalouiẽsis, Mariæ burgẽsis, & Pomeraniæ regiones, Casimiro regi cesserunt. Cætera Prusia, cuius caput est vrbs Regiomontana, Teutonico ordini relicta; his editis legibus. Vt Prutenicæ militię Magister, & vniuersi Mariani milites

lites, in fide & clientela Polonorum regum semper essent. Magister ordinis, sacramentũ fidei regibus Polonis solemni ritu præstaret, & Princeps atq; Consiliarius regni esset; & in amplissimo regni Poloniæ Senatu, primum penes regem ad læuam locum obtineret. Primi Teutonici ordinis Commendatores, vt Consiliarij regij censerentur. Quidquid Prutenicæ militiæ Equites, barbaris adimerent, in vnum regni Polonici corpus coalesceret. Tota Teutonicorum in Prusia religio, nullius in terris, prærterquâm regis Poloni Maiestatẽ; salua

ſalua Pont. Max. auctoritate, agnoſceret. Ad profeſsionem ordinis, vt Polonis iuxtà, ac Germanis aditus pateret. Cruciferi regi Polono cōtra quemuis hoſtem adeſſent. Magiſter Teutonici ordinis ne inſcio Rege officio priuaretur. Munitiones ex vtraq; parte intercæptæ bona fide redderentur. Quod ſi ab aliquo alio tenerentur, vt coniunctis recuperarentur viribus. Donationes, venditiones, & alienationes bonorum, belli tempore damno alterius partis factæ, ne vllum robur haberent. Nobilibus profugis & exulibus, agri adempti reſtitueren-

tuerentur; plebeis autem hominibus illæ tantum, quæ ante initium illius pacis venditæ non eſſent. Pro diſtractis agris liberum eſſet pecuniam numerare. Perduellionis culpa, vt omnibus ex vtraq; parte condonaretur. Culmenſis Eccleſia vt amotis religioſis Cruciferis, ad iuriſdictionem metropolitanæ Eccleſiæ Gneſnenſis rediret. Vincentius Chelbaſſa Secretarius regius, Culmenſis & Pomeſanienſis Epiſcopus eſſet. Eo è rebus humanis erepto, Pomeſanienſis epiſcopatus Teutonicis Equitibus cederet. Agri Eccleſiaſtici, vtrinq;

vtrinq; suis Ecclesijs redderentur. Portoria noua ne imperarentur. Captiui vt ex vtraq; parte dimitterentur. Itinera publica, vt essent libera. Conuentas inter Casimirum Poloniæ regem, & ordinem Teutonicū pacis leges; vt omnes Episcopi, Duces, Palatini, Castellani, Cōmendatores, Equites, & Ciuitates, iureiurando approbarent. Hæc ita tunc adiectis in violatores pacis pœnis conuenerunt. Ex quo tempore Prussia vniuersa, in potestatem, fidem, & clientelam Polonorū redacta, crudelibus bellis finé imposuit. Nacta apud Prutenos

nos Dei beneficio tranquillitas, etsi aliquando Teutonicorum Equitū leuitate fuerit turbata; ad extremum tamen salua illis, & integra permansit; ad Sigismundi primi Poloniæ Regis vsq; tempestatem. Quo tempore Albertus Marchio Brandeburgēsis, Magnus Teutonicorū in Prussia Magister, obtemperare se velle Polono regi negauit. Certatum est aliquandiu, magnis vtrinq; conatibus, Germanis principibus Alberti partes fouentibus. Cessit tamen ille Poloni regis potētiæ; & repudiato magni Magistri officio; Ducis in Prussia

titulum & bonam Pruſſiæ por tionem, ab Sigiſmundo Rege iure beneficiario accepit; data fide quod Polonis regibus dicto audiẽs futurus eſſet. Exſtincto Alberto Duce AlbertusFridericus filius, in paternum ſucceſsit principatum. Qui cũ Sigiſmundo ſecũdo Auguſto Poloniæ regi defuncto, ſolemne noſtra memoria præſtitiſſet homagium; nunc etiam in poteſtate Henrici Valeſij optimi & fortiſsimi regis libenter aquieſcit. Atq; ita Pruſsia, victricibus primum Polonorũ armis ſubacta, deinde Polonorum beneficio Marianis militibus

conceſſa, atq; illis quodam tẽpore, quod in legittimos Pruſſiæ patronos Polonos reges, arma conuerterant erepta, poſtea tamen reſtituta, deinde publico primum, & cõſtanti vniuerſorum totius Pruſsiæ ordidinum conſenſu, qui Marianos milites eiecerant, ab Caſimiro tertio Polonię rege in deditionem accepta, poſtremo etiam ſumma Teutonici in Pruſsia ordinis voluntate, ad Polonorum regum imperium iure optimo acceſsit.

DE MASOVIA.

CAP. VIII.

MAſouia doctiſsimorũ
virorũ, & fortiſsimo-
rum militum, feraciſsi
ma in Polonia prouincia; cum
antea cõmuni totius Poloniæ
nomine cenſeretur, tunc pri-
mum peculiarem adepta ap-
pellationem, cum Maslaus,
Miecislai Polonorum regis po
cillator, erepto è rebus huma-
nis rege, circiter Milleſimum
1034 triceſimum quartum annum,
ardenteq́; ciuilibus bellis Polo
nia, eius regionis dominatum
arripuit. Vnde ab Maslao, qui

& Maſos dictus eſt, appellata
Maſouia. Maslaus vera Caſimi
ri primi Poloniæ regis virtute,
vna cum auxiliaribus Pruſſo-
rum copijs ſuperatus, tandem
etiã ab illis ſupplicio affectus,
vitam cum principatu ſimul
amiſit. Anno milleſimo qua- 1043
drageſimo tertio. Exſtĩcto Ma
slao Maſouia ad ampliſsimi re
gni corpus redijt; nomen ta-
men ſemel acceptum, ad hanc
vsq; diem conſtantiſsimè reti-
net. Eius prouiuciæ ſingula-
res, quibus à natura exornatur
vbertatis laudes, nihil attinet
percenſere: cum & ſeipſam
quamcommodiſsimè ſuſten-

tet, & incredibilem frugum, pecoris, cæterarumq́; merciũ copiam, exteris gentibus transmittat. Illustratur imprimis tribus præcipuis Sarmatiæ fluminibus, Vistula, Narua, & Bugo, quorum etsi primam sibi Poloni, Lithuani, & Roxolani, vendicant originem; nullibi tamen plenius & spaciosius fluunt, piscibusq́;, & maioribus, & melioribus abundare censentur. Syluæ amænissimæ, quâ Prussiam spectat, ferarum omnis generis venationem sub ministrant. Vros sola Masouia habet, quos ibi patrio nomine Turos vocãt: qui cum sint boues

ues syluestres nihil ferè ab domesticis bobus differunt; prætcrquàm quod omnes nigri sunt, & ductum quendam instar lineæ ex albo mixtum per dorsum habent. Cinguli ex eorum corijs facti, cum illis fœminæ præcinguntur, partum promouere existimantur. Vrorum custodia, quod paucissimi sint, & in precio habeantur, certis quibusdã vicis atq́; pagis incumbit. Primaria totius Masouiæ vrbs, & metropolis Varsauia, ad ripam Vistulæ fluminis exædificata, cum olim Masouiorum Ducum sedes esset, nunc propter insi-

gnē maximi fluminis opportunitatē, celebrandis generalibus totius regni Comitijs, cōmodissimū habetur domiciliū. Amplissimus totius Septentrionis pons, ex trabibus ingentis magnitudinis cōstructus, in Vistula flumine cernitur; Sigismūdi secundi Augusti Poloniç regis opus. Ploscum episcopalis ciuitas ad eundem fluuiū sita, sede Pōtificali, & insigni Canonicorum Collegio celebris, secundas post Varsauiam dignitatis, & splendoris partes vsurpat. Hodie eius vrbis Episcopatum administrat, Petrus Miscouius Eques Polonus, qui ad illustrē praecla

praeclarissimi generis nobilitatem, praestantissimarum quoq; doctrinarum laudem adiunxit. Caeterū Masouia, quod à proprijs olim Ducibus fuerit administrata, Ducatus titulum sortita est. Duces Masouij socij, & beneficiarij Polonorum regum fuerunt. Exstinctis autē patrum nostrorum memoria Sta: & Ian: Ducibus, quod in illis mascula Masouiorum Ducum stirps defecisset: Sigismundus primus Poloniae Rex, totam Masouiam in formam prouinciae redactam, ex amplissimi Consilij sententia, Poloniae regno iure sempiterno adscripsit.

ſcripſit. Quam vna cum regno ad Sigiſmundum Auguſtum filium tranſmiſsit; ille immatura morte præuentus, Maſouiæ Ducatum, vna cum cæteris regni Poloniæ prouincijs Henrico Valeſio regi reliquit, qui nunc regnat.

DE SAMOGITIA.

CAP. IX.

SAmogitia, quæ ab vna parte mari Balthico alluitur, regio eſt Lithuanis contermina, Prutenis & Liuonieſibus intermedia. Ferax frumenti, & leguminum, ſed nulla

nulla celebri vrbe, nulloq; illuſtri oppido inſignis. Syluis, & nemoribus ſparſim exornatur amęniſsimis; in quibus horrendæ quandoq; viſiones fieri ſolent. Multa ferarum venatio. Melle candidiſsimo, optimiq; ſaporis, & quod parum admodum cæræ habeat, abundat. Gens in vniuerſum procerę ſtaturæ, & bellicoſa, plæroſq; tamen pigmęos, quos vulgo nanos vocant videre licet. Equi totius prouincię ferè omnes puſilli; frigoris inediæ, laboriſq; patientiſsimi. Eam natione̅ falſorum Deorum ſuperſtitionibus dicatam, Vuladislaus Iagello

lo Poloniæ Rex, ad Christum vocauit, circiter Millesimum
1413 quadringentesimum decimũ-
tertium annum. Colebant autem pro Dijs quemadmodum & Lithuani Serpentes, eos domi veluti Penates nutriebant, & in fæno iacentibus sacra faciebant: immò, & Solem, & Syluas diuino cultu prosequebantur. Post introductam sacram Christi fidem, Episcopus ex auctoritate summi Pontificis Romani genti vniuersæ præfectus; prouincia in duodenas paræcias distincta. Capitaneus, qui est ex principibus regni Poloniæ Senatoribus, prouincia

uincialibus regio nomine ius dicit. Hic est perpetuus apud Samogitas magistratus. Totius autem regionis dominatus, eodem quo & magnus Lithuaniæ Ducatus iure, ad Regem Polonum pertinet.

DE LIVONIA.

CAP. X.

Liuonia, extrema Sarmatici regni prouincia, firmissimum olim ad sustinendam, & propulsandam barbarorum vim, Christiani orbis propugnaculum: ab Septentrione finitimos habet

bet Roxolanos, qui hodie Mo
ſchouitæ nuncupantur. Mo-
ſchouitarũ nomen recens eſt,
quanquam, & apud Lucanum
de Moſchis Sarmatarum affini
bus, mẽtio fiat: & Plinius Mo
ſchos ad Phaſidis fontes ſupra
pontum Euxinum ad Orientẽ
Solem conſtituat. Vrbs Mo-
ſchouia, regioni, & genti ſimul
nomen dedit. Ea eſt omnium
totius Aquilonaris regionis
Ciuitatum longè maxima, vt
potè quæ ſecundum Moſchi
fluminis ripam, ad ſpacium
quinq; milliarium extenditur.
Ædium in vniuerſa vrbe mul-
titudo, quadraginta millium
&

& mille quingentarum nume-
rum ſuperare creditur. Huius
gentis Princeps ſupra centum
& quinquaginta millia equi-
tum ad bellum ducere; & cum
Polonis ac Lithuanis de fini-
bus; cum Tartaris autem ad
vindicandas eorum continuas
incurſiones, dimicare conſue-
uit. Ab occidẽte Liuonia, ma
ri Balthico ſecundum longitu-
dinem alluitur. Mare Balthicũ
multis illuſtribus maximiſq;
ſcatet inſulis; ad quas breui na
uigatione ex Liuonia perueni-
tur. Ibi Nouergia, ibi etiam
Gottia, Gottorum origine illu
ſtris ſpectantur. Hodie princi-
pes

pes Liuonienſium vrbes Riga, Riualia, & Torpatum cenſentur. Riga gentis metropolis, ad ripas Dunæ fluminis, non longè ab oſtijs, celeberrimum Septentrionis emporium, primas dignitatis, & diuitiarum partes vendicat. Prouincia vniuerſa cum ſingulari terræ vberitate fæcunda, & inſigni equorum, pecoris, atq; nobiliũ animalium copia præſtans; tum verò etiam plærisq; illuſtribus vrbibus potens, optimis portu bus cõmoda, & frequentiſsimis arcibus munitiſsima iudicatur. Fluuios nauigabiles, & ferendis lintribus idoneos Rubonem

bonem, & Neruã habet. Eam Fratres Teutonici S. Mariæ militiã profeſsi, victricibus ſubactam armis ſacram Chriſti fidem ſuſcipere coegerunt; deductisq; in prouinciam Germanicæ nationis colonijs, præſtantiſsimis ciuitatibus atq; oppidis communitam, tribus etiam pontificalibus Eccleſijs Rigenſi, Riualienſi, & Oſilienſi mirificè illuſtrauerunt. Sæpius ab illis cum Moſchouitis dimicatum; plæriq; tamen inſignes Teutonicorum, habiti ex ea gente Triumphi, enumerantur. Noſtra autem memoria cum Sigiſmũdi ſecundi Au

gusti Poloniæ Regis Legatum cæcidissent; & Vilhelmum ex Marchionibus Brandeburgensibus, Ecclesiæ Rigensis Antistitem, regium affinem, vna cum Christophero Mechelburgensi Regulo in vincula cõiectos carceribus mancipassent, magni & vix non exiciosi aduersum se belli occasionem prębuerunt. Eorum enim facinoribus Rex potẽtissimus, maiorem in modum irritatus, maximo ex Polonis, & Lituanis collecto exercitu, vlcisci iniurias illatas decreuerat. Verùm Vilhelmus Firstembergus magnus Liuonicæ militiæ Magister

ster, cum se tantis Poloni regis copijs, quas tunc maximas, & paratissimas in conspectu hostium habebat, imparem fore sibi persuaderet, imperata potius facere, quam ad vniuersam prælij dimicationem venire malluit. Quamobrem acceptis ab rege conditionibus, non modo Archiepiscopum Rigensem, & Mechelburgensem Ducem liberatos dimisit; verumetiam quod magis est ipse cum vniuersa prouincia in fidem & clientelam regiam, quamuis tunc nõ omnino pleno iure cõcessit. Anno autem qui proxime subsequutus est,

cum Magnus Moschouię Dux Torpatensem in Liuonia vrbē occupasset, & Antistitem eius diocæsis cæpisset, Liuonienses in angustum redacti, annuente Ferdinando Imperatore Romano, toto iure sese regi Polono subiecerunt. Neq; ita multò post, magnus Liuonicæ militiæ Magister Firstēbergus, vna cum Felino arce, in qua se imprudentius incluserat magno Moschouitarum Tyranno deditionem fecit. Liuonia cum propter maximas ab immanissimo hoste illatas clades, tum etiam ob profligatam Catholicam religionem summis affecta

cta incommodis. Cui vt aliquod salutare remedium Sig. Aug. Rex sapientissimus adferret, & regionis florentissimæ vires sparsas ad neruum aliquē colligeret; Gottardum Chetlerum nobilē Vuestphalum, Curlandiæ & Semigalliæ in Liuonia Ducem creauit, exacto ab eo fidei sacramento, quod in potestate, & clientela Polonorum Regum semper futurus esset. Totius autem Liuoniæ gubernationem Ioanni Comiti Chotcheuicio viro prudentissimo, & in rebus bellicis exercitatissimo mandauit. Ex quo tempore Ducatus ille, qui &

amplissimi Regni titulum, propter magnas ciuium opes, & incredibilem maximarum vrbium potentiam meretur; Regis Poloni imperio in hunc vsq; diem obtemperauit.

FINIS.

INDEX

Capitum Primi Libri.

Libri Secundi,

CAPITA.

FINIS.

Errata	Corrigenda.
fo. 5. Primiores	primores
fo. 13. maximis	maximus
fo. 16. pæterire	præterire
fo. 17. egreius	egregius
fo. 20. libines	libidines
fo. 21. vmblico	vmbilico
fo. 61. qui	quis
fo. 67. nunctiorũ	nunciorum
fo. 89. inlligerẽt	intelligerẽt
fo 92. pretiosos	preciosos
fo. 97. littoria	littora
fo. 101 descripti	adscripti
fo. 103. omnem	amnem
fo. 114. mæniorũ	mænium
fo. 121. Pontus	potus
f. 126. precisiores	preciosiores
fo. 144. Nouergia	Noruegia

Errata Corrigenda.

fo. 5. Primiores	primores
fo. 13. maximis	maximus
fo. 16. preterire	preterite
fo. 17. egreius	egregius
fo. 20. libines	libidines
fo. 21. vmblico	vmbilico
fo 61. qui	quis
fo. 67. nunciorũ	nunciorum
fo. 89. inlligerẽt	intelligerẽt.
fo 92. pretiosos	preciosos
fo. 97. litoria	littora
fo. 101 descripti	adscripti
fo. 109. omnem	amnem
fo. 114. meniorũ	meniũ
fo. 121. Pontus	potus.
f. 126 precitiores	preciosiores
fo. 144. Nouergia	Noruegia

Hist. Polon

a. gener